14

EXERCITATIONES
THEOLOGICÆ
DOGMATICO-EXEGETICÆ

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

BERNARDINO MARINO

EPISCOPO TARVISINO

Duci Marchioni, Comiti &c.

INSTITUTÆ

A D. JOSEPHÓ MONICO

Clerico Tarvisiano de Resio

F. DOMINICI MARIÆ FEDERICI

ORDINIS PRÆDICATORUM

IN SEMINARIO TARVISINO

DOGMATICÆ THEOL. ET HIST. ECCLES. PROFESSORIS

AUDITORE

Facta cuilibet post Tertium argumentandi facultate


TARVISII

APUD JULIUM TRENTO 1789.

Errant (Novatores) *veluti in mari magno, nec, quo ferantur, intelligunt.*

Lact. Div. Inst. Lib. VI. cap. 8.

Digitized by Google



PRÆFATIO

PRimus jam elabitur annus, Illuſtriſs. et Reverendiſs. Præſul, quo inſtauratis Academiæ bujus litterariæ ſtudiis novis Scbolarum inſtitutionibus, noviſque Magiſtris accitis me totum in Tbeologiæ Dogmaticæ, et Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exercitatione, pro ingenii mei modulo, diſtinui, operamque navavi. Una bæc dies eſt, qua pro more Scbolæ noſtræ ſtudiorum meorum ſpecimen Tibì Cultori vigilantiſſimo, Patrique ſolertiſſimo nunc dare publica Diſputatione

decre-

Digitized by Google

decretum est. Disputatione scilicet, qua dum vera Theologiæ Exegeticæ, et Dogmaticæ principia vindicare aggredior, audacissimorum hominum falsa detegam, et explodam. Fuere omni ætate, et modo sunt plerique, qui sese arroganter opponunt, audent impudenter, procaciterque adducuntur, ut Deum, omnemque Religionem, Evangelium, et Ecclesiam irrideant, atque blasphement, ut vincula quæque Religionis disrumpant, et effrænem vivendi licentiam adoptent, cæterisque imponant, et adblandiantur. Quibus conatibus Societas ipsa pessimis moribus corrumpitur, et Religio omnis prorsus aufertur, et Virtus. Accedit, quod magna jam prodierit, majorque in dies prodeat pestiferorum Librorum fœda colluvio, quibus omnia Theologiæ principia susdeque vertuntur, cum ea obscurare, et labefactare viribus omnibus adnitantur. Quamobrem quanta sit studiorum nostrorum necessitas, quantæque utilitatis instituta hæc Disputatio, nemo non videt.

Disputamus namque, ut divinæ Revelationis necessitas, et existentia, ut sacrorum Codicum tuto vera interpretatio haberi possit, ut naturalis, et revelatæ Religionis dogmata vindicentur, atque ab Adversariorum telo utrumque defendamus. Primum sacræ Exegesis munus pandit, Dogmaticæ Theologiæ provinciam statuit alterum. Adversarios non quosdam, et cujuspiam ætatis, sed audacissimos omnium

temp-

Temporum expositis Exercitationibus convenimus. Sunt ex his aliqui, qui animorum futurique sæculi immortalitatem, et summi Dei existentiam, naturam, et attributa impiissime maculant, Atheosque, si se non profitentur palam, fovent tamen, et defendunt. Utroque Rationis, et Revelationis lumine hos omnes principiorum loco refellimus. Sunt alii, qui dum singula hæc admittunt, divinam tamen Revelationem supervacaneam, et hominibus prorsus inutilem, Deoque impossibilem dicunt, totique sunt, ut tantas vires adhuc in homine esse asserant, quod nativo Rationis lumine principia, et officia quælibet homo cognoscere valeat, et adimplere: et utinam ubi nata est superbiens, et fallax hæc opinio mansisset; sed quocumque, et ad nos pertransiit; et quot inde errores! Novum scribendi ingenium invasit cunctos, enatis controversiis, disseminatis erroribus, mirum est quantum hæc illorum arrideat, et insedeat opinio. Itaque singula ad examen vocabimus, atque prima Exercitationum parte divinam Revelationem, non modo ad aliquas supernaturales veritates necessario detegendas, mysteriaque admittenda, sed etiam ad naturales, ad perfectam nimirum juris naturæ, et gentium cognitionem, necessariam esse totis viribus defendemus.

Sed hæc divina Revelatio, hocce divinæ providentiæ beneficium omnibus præsto esse debet,

factumque

Digitized by Google

factumque cum sit quonam loco, cui homini, genti, populo, quibus modis, quibusve Codicibus servatum dicemus. Hinc secunda Disputationis nostræ pars. Principio: omnium Religionis Dogmatum Revelatio integra et absoluta Adamo facta est, in posteros propagata, sed vitio, et negligentia hominum non parum obscurata, et corrupta; identidem per suos Prophetas, ac tandem per Jesum-Christum plenissime omnia Religionis arcana patefacta sunt. Manibus, pedibusque Deistæ singula hæc inania, gratisque asserta esse, suadere conantur, sed infelicibus avibus. Divinam sane Revelationem in Veteris, et Novi Testamenti Libris divinitus custodiri dicimus, eorumque authentiam, integritatem sartam, tectamque dabimus, Et dubia omnia, artes, fraudes adversariorum, quotquot videre potuimus, nec paucos, sed non omnes vidimus, detegemus. Ad manus quippe quorumdam levissimorum hominum, qui ut execellenti, delicatoque ingenio videantur communem bonorum viam quasi fastidientes, vix olfactis, ut sic dixerim, exterorum doctrinis infideles evadunt, et quod inde sequitur, vitiosissimi, ad horum, inquam, manus quænam, quæso, et in deliciis opera? Voltairus, Rousseavius, Bolingbrokius, Beausobrius, Mirabeavius, Freretus, Gibbonius, ut alios omittam; qui omni conatu Pentateuchum, omnesque Veteris Fæderis Libros,

erroribus

erroribus Fœdissimis conspersos exhibent, irrident; et quatuor Evangelia, omnesque Novi Testamenti Codices inter apocryphos habent, Criticisque argumentis viam sibi ostendunt, ut dubitent, immo suadeant Christianam Religionem non divinum omnipotentis Dei opus esse, sed humanum, immo vituperandum. O genus hominum factiosum imperitia, cæcitate, et invidia blasphemum! Ad hos revincendos nostræ se convertent Excercitationes, ut Veteris scilicet, et Novi Fœderis codices, quatuor præsertim Evangeliorum, a recentium Criticorum dubitationibus vindicemus.

Postremum Elucubrationum caput adversus omnes Heterodoxos, recentesque vel inter Catholicos infensissimos Ecclesiæ Romanæ hostes arma sumet. Quot enim sistemata prodiere, et prodeunt, ut sacrarum Scripturarum interpretationem, ab omni externo, infallibilique judice liberent? Scripturæ textus omnes integra perspicuitate donatos, Spiritum uniuscujusque hominis privatum puram, nudamque Rationem ad sacram Hermeneuticam sufficere, qui nimmo liberum esse cuicumque sentire quid velit, audacter pronuntiant. Hinc Tolerantismo patefacta via, quo citius ad purum, putumque Deismum iter, quo Religionum Simultaneitas admittatur. Non ignota prosequor. Hinc vides, Mæcenas Amplifs., quot graves, et perniciosissimas Hæreses, quibus Novatores huc,

et illuc Christi doctrinam impetunt, omnemque Catholicæ Ecclesiæ rem susdeque vertere, et in præceps adducere contendunt. Vides Romanæ Ecclesiæ jura diminui, et infringi, omnemque Ecclesiasticæ Hierarchiæ dignitatem, majestatemque contemni. Nonne inde discordiæ ortæ, et adauctæ? Nonne quod modo viget, et alitur discordiarum gramen ubique serpit, crebroque novas spargit radices? Romanum Pontificem Christi Vicarium Petri successorem jure divino constitutum appello. Sed ut hoc negent illi, quot machinæ, et artes? Divum Petrum nec Romam adventasse unquam scripsere post Marsilium Mainardinum, et probare conantur Hæreticorum pessimi. Sin minus non fuisse Romanum Episcopum. Ast perpetua est omnium Patrum, et Historicorum traditio. Romanum Pontificem Cathedram Petri, sedemque ejus principem tenere; hæc est omnium Catholicorum sententia: ab hac Heterodoxi discessere, discedunt; sed a nobis secessere, et secedunt. Quid ergo dicemus de Anonymo, cæteroquin erudito, Ecclesiasticæ Jurisprudentiæ nupero Auctore? Negat hic Divum Petrum Romanum fuisse Episcopum, Sedemque Romanam tenuisse unquam, Sanctumque Linum Divo Petro successisse negat; Clementi vero jam Romæ Episcopo jura Primatus Petrum, antequam decederet reliquisse. Novam hanc opinionem quocumque veteris traditionis fundamento destitutam,

omnium

omnium Patrum testimoniis oppositam, Hæreticis Blondello, Vedellio, Bebelio, Ittigio, Basnagio, Petræo, Pearsonio, aliisque unice consonam, operosa Exercitatione explodemus. Neque enim gravissimis his in rebus sine piaculo licet novam procudere, et proferre sententiam. Nonne satis est, ut opinio aliqua vera dicatur, et totis viribus defendatur, quod Catholicorum omnium sententia sit, opposita vero Hæreticorum? At quo eum perduxit novitatis amor! Scribat ergo in operis sui fronte, laudetque Vincentii Lirinensis dictum: Nove, non nova*: sed prudens, et pius non apponendum sinat:* Nove, non nova Hæreticorum opinio.

Hæc, Præsul Ampliss. studia nostra: his namque abnormes Deistarum, atque Heterodoxorum conatus, impetus, et fraudes sine ulla disputandi acerbitate, sed pacifica litteraria contentione comprimere, retundere, atque detegere aggredimur; Tuoque Nomine nos in singulare certamen committimus. Et quidem si Animi Tui magnitudinem, si a Natura Ingenium, si rectum, atque expeditum Judicium tuum perpendimus, quis potest esse unus, cui magis nos, laboresque nostros, immo laborum primitias commendare velimus? Omnium Princeps Seminarii tui, cæterarumque sacrarum Disciplinarum Parens Dogmatica Theologia, quam singulari quadam benevolentia prose-

querit,

queris, publice conspectui tuo hodierna luce sese offert, et libentissime sistit. Sistit profecto in tam magno Litteratorum consessu, si non Orationis deliciis, certe gravibus verisque sententiis, propriis, accomodatisque argumentis locutura. Locutura non destituta omni Dialecticæ præsidio, quo delicatuli aliqui, si non malo dolo, eam aspernandi causam arripiunt; sed ita, ut Disciplinæ suæ principiis uti, fidei dogmata exponere, atque tueri valeat Theologus, quæ non ageret, si foret ille Dialecticæ rudis. Locutura, posthabitis aridis illis, ut vocant, Metaphysicis quæstionibus, non de verborum, sed de rerum delectu sollicita. Locutura tandem, non ut laudes tuas copiose, ornateque recenseat, neque enim earum locus est; satisque est eam ipsam tuis auspiciis ali, et loqui, ut tibi obsequii, et venerationis officium, tribuat; et si quantum debemus non possumus, videamur saltem, quod posse novimus, non refugisse.

THEOLOGICARUM EXERCITATIONUM

PARS PRIMA.

DE PRINCIPIIS DIVINÆ REVELATIONIS:

I.

Ulgata est Theologiæ partitiò in naturalem, & revelatam, quarum una solo rationis lumine veritates plures, quæ Deum respiciunt ostendit: altera vero, quæ Deum ipsum supernaturali lumine spectant contemplatur: vulgata quoque legis divisio in naturalem, & supernaturalem, ut illa practicis veritatibus rationis lumine hominem ad ultimum finem dirigat, alia vero gratiæ, & revelationis auxilio hominem ipsum ad veram felicitatem ducat, et opituletur. Ex quibus præstantes Viri Religionem ipsam partiti sunt in naturalem, & revelatam, ut prima circa Deum, et hominis officia, rationis lumine instituat; alia vero circa eadem supernaturali manifestatione versetur. Licet singula hæc optime definita habeantur; certum tamen exploratumque est Theologiæ naturalis Theoremata, Legis naturalis præcepta, Religionis naturalis officia, et finem ad præsentis vitæ statum nec perfecte, nec satis esse ut propterea revelatio admittenda est. Neque enim homines unquam sine revelatione exstitere, ac propterea nunquam sola naturalis Lex, naturalisque Religio suffecit. Ex parte igitur Dei, et hominis revelata Theologia perquirenda. Falluntur ergo Deistæ perfectam Religionem naturalem sufficere omnino ut bene beateque vivatur: falluntur quoque si qui sunt Theologi, qui Religionem naturalem extitisse aliquando confitentur: Quamobrem veram Religionem nonnisi revelatam esse dicimus, cum verus unicus finis ultimus hominis supernaturalis sit. Si ita tamen loquuntur, ut nihil aliud innuant, quam in Religione contineri veritates, quæ ordinis sunt naturalis, atque hoc sensu admittant Religionem naturalem, non dissentimus: etenim et nos duo totius Christianæ Religionis principia

admit-

Digitized by Google

admittimus, lumen scilicet, revelatum, et rationis. Illud Naturalistæ penitus auferunt, istud enthusiastæ exulant, et persequuntur: utroque tamen Theologus instructus esse debet. Nostræ itaque exercitationes Theologicæ, quas singulari certamine exponimus, ex revelationis fontibus, & humanæ rationis argumentis quantum fieri potest demostrabuntur. Sint itaque publice defendendæ.

1. Veræ Religionis, et Christianæ Theologiæ veritates plures; ac primo Dei existentia fidei, et rationis lumine demostrantur.

2. Litterati, et illitterati homines, licet circa certitudinem evidentiæ non parilis sint conditionis, circa certitudinem fidei æqua est utriusque conditio.

II.

Dei existentiam adversus Atheos demonstraturi non bene se gerunt illi, cætoroquin docti, qui novas demonstrationes exhibent, cum infirmis id agant argumentis. Ex idea nempe innata Entis perfectissimi: ex possibilitate Entis æterni, ex æterna Mathematicorum Theorematum veritate depromunt argumenta. Nihil, vel parum agunt, cum Athei respondeant, supponi id, quod est in quæstione. Hujus generis et illa est, quæ ex minima actionis quantitate in mundi productione consumpta, instituitur. Veritas omnium veritatum fons invictis ostendenda est argumentis. Etsi enim Atheum theoreticum dari posse negemus: dixit tamen insipiens in corde suo: non est Deus. Sed ex scriptis pæstilentissimis argumenta parantur, ut demostrationes pro Dei existentia facili negotio retundantur. Quare satis mirari non possumus Theologos quosdam, qui receptas demonstrationes infirmare studium omne impendunt, & labores; utrosque errare turpissime defendimus, & argumentis undequaque desumptis supremi Numinis existentiam demonstrabimus. Ex iis quippe, quæ videmus, et facta sunt, quod non videmus, et factum non est ostenditur. Tota qua late patet Physica excurrenda esset ad argumenta danda tantæ veritatis, et qua par est dignitate, et copia pertractanda. Sacræ Litteræ, Sancti Patres, Philosophi insigniores, ex multiplici creaturarum enumeratione mirabiliter rem conficiunt, adeo ut aliqui vel ex monstris, et monstruosis effectis justum, et optimum Numen demonstrant: dum alii ex corporis humani structura, ex corporibus cælestibus, ex insectis, ex mundo universo, & ex unaquaque ejus parte præconia

Divinæ

Digitized by Google

Divinæ existentiæ exhibeant invictissima. Neque hæc omnia; neque singula confutata fuere, quantumvis Physiothei summo id egerint studio. Cum tamen Spartam hanc nemo Angelico Præceptore D. Thoma Aquinate melius egerit, rationes ab ipso allatas defendemus, atque adversus quoscumque propugnabimus, iis non solum primam causam, primumque existere motorem ostendi, sed Deum. Distinctis ergo Thesibus

3. Existentia Entium contingentium Ens necessarium existere demonstrat, nempe Deum.

4. Existunt Entia cogitantia, existit ergo Ens intelligentissimum.

5. Ens summe necessarium, intelligens, & independens ex motu corporum evincitur.

6. Ex causarum efficientium serie, quæ infinita esse nequit, prima ostenditur causa, nempe Deus.

7. Ex mundi hujus, et rerum omnium ordine, pulchritudine, et harmonia sapientissimi Artificis æterna existentia demonstratur.

III.

Materiæ, et mundi creatio ex nihilo semper infensos hostes nacta est, et hodie plurimos. Quidam materiam, corpora, mundum adspectabilem solis ideis existere, puraque esse phantasmata dixere; qui et Philosophiam, et Religionem universam penitus evertunt. Huic medendo malo Materialistæ omnia esse materiam posuerunt, hancque per se existentem, necessariam, increatam, æternamque fateantur oportet. Atque ut aliqua possent ratione rerum omnium originem explicare, motum esse materiæ essentialem pluribus veterum, & recentium Philosophorum detortis principiis, statuere. Sed materia si æterna, et increata, immobilis et quoad totam suam molem, et quoad singulas particulas esse debet, homogenea, et absolute infinita. Summa est enim, et necessaria connexio inter æternum, et infinitum; inter independens, et immutabile. Repugnat ergo rectilineus, et circularis motus. Absurdior vero & altera materialistarum positio, mundum nempe hunc adspectabilem ex cæca materiæ necessitate efformatum fuisse; ita ut totum mundi sistema Mechanismi legibus factum sit. At quo motu, qua dimensione, quibus obliquitatibus, et legibus fieri poterat? Habeant illi prima rerum elementa durissima, et diversæ figuræ, mirabilem habeant elementorum progeniem, intrinse-

Digitized by Google

eas, activas vires, et attractrices habeant quidem; ex his tamen tantum opus nunquam prodibit. Propterea intimo sensu quilibet homo cognoscit se cogitare, seque liberum esse; sed materiam posse solis mechanicis legibus, vel occultis cogitare haud affirmari potest, cum evidentissime demonstratum sit materiam sive creatam, sive increatam cogitare non posse. Quare tot impia sistemata præcludimus.

8. Motus, quocumque admisso sistemate, non est materiæ essentialis.

9. Naturæ motus stare nequit cum æterna existentia.

10. Repugnat materia increata, immobilis, et independens.

11. Veteres Ecclesiæ Patres materiam non esse increatam, et æternam constanter docuerunt.

IV.

Sed si materia naturæ suæ necessitate non existit, nec mundus hic adspectabilis Ens erit a se, & increatum. Non ita tamen hoc intelligi volumus, ut celebrem nonnullorum veterum de æterna mundi creatione controversiam ingrediamur. Alia est hæc subtilis quæstio ex vocabulorum explicatione fortassis tota dirimenda. Sit tamen ita ut Mosaicum Geneseos sistema unice adoptandum esse contendamus: eo enim omnis rerum æternitas evanescit, incendia, diluvia, bellaque ante datam epocham conficta esse decernuntur. Sinensium antiquissima gesta fabulosa omnino definiuntur; licet directe hæc mundi æternitatem non inferant, sunt tamen Metaphysicæ, et Religioni valde periculosa. Non inde tamen inferat aliquis mundi creationem fide esse tenendam, non ratione demonstrandam. Ast mundi creatio nonne possibilis ostenditur? Nonne omnia producta esse ex nihilo demonstratur? Hæc veteribus Philosophis mutatis vocibus nota omnibus fuerunt. Audacter propterea nimis, et impie hac super re putant aliqui doctrinam de eductione rerum ex nihilo Philosophis ignotam, primum Christianam Theologiam invenisse, dicentes. Contra de humana ratione nimis alii superbientes modum creationis ex nihilo explicare student. Satius sit, qua ratione factum sit ignorare, licet factum esse dicamus. Nemo tamen rerum creationi magis sese opponunt quam Spinozistæ. Hi enim nonnisi unam substantiam infinitis attributis præditam admittunt, quorum duo cogitatio, et extensio infinita sint, et unumquodque æternam, et infinitam essentiam exprimat. Cætera vero necessariæ modificationes sint illius substantiæ. Porro

quid

Digitized by Google

quid aliud hæc omnia deferunt, quam purum, putumque materialismum, et Atheismum? Quis autem persuadere sibi possit, nisi ipsissimis oculis suis videret, inveniri aliquos, qui non modo celebriores Philosophos veteres, et cujusque ætatis litteratos viros Atheos fuisse dicant, sed Atheismum, et Spinozismum in sacris Litteris, et a Sanctis Patribus doceri, et tradi comminiscantur?

12. Mundus non est a se æternus, et independens.
13. Nec ab æterno creatus, immo nec a Deo potuit creari.
14. Deus, et mundus non unum sunt.
15. Nec una tantum in mundo substantia.
16. Sacra Scriptura, et ratio humana ostendunt Deum infinite esse diversum a materia, et a mundo.

V.

Lumen utrumque spernit, expugnat, qui omnium gentium, omniumque populorum consensum non satis validum, immo infirmum in Religionis negotio argumentum esse affirmare non veretur. Nam si sententiam aliquam constanter tenuit omnis retro vetustas, si universæ nationes, omnesque populi, Philosophi, et Principes in eadem conspirant, quid amplius inquirendum, ut naturæ, rationis, divinique Numinis vocem habeamus? Si itaque Dei existentiæ, si futuræ vitæ perennis status, si Religionis ab omnibus omni tempore, et loco opiniones receptæ inveniuntur, ut his cujusque hominis vita, societas, & leges inædificentur, quibusnam rationibus ostendent Deistæ statum Irreligionis, sine supremi scilicet Numinis cognitione, et metu futuræ vitæ homini esse naturalem, et Atheorum Rempublicam jure optimo stare posse, diuque consistere, superstitionemque esse hominibus, et imperio exitiosiorem Atheismo, sibi virtutem, honestatemque confingant naturalem, abstractam, boni operis mercedem, et præmium? Quid si pravorum affectuum tumultu, si passionum motibus agitetur? hic aut nullam esse hanc virtutem dicet, aut talem, ut ipsiusmet non mereatur obsequium. Si indubitati judicis minæ, si Religionis ab omnibus admissæ metus sæpe franguntur, quidne de abstractæ virtutis præmio? Consensere namque gentes in Deo admittendo, colendoque, in animarum immortalitate, futuræque vitæ statu, consensere in juris naturalis officiis admittendis, et tanti ponderis esse noverunt, ut nihil magis. Profecto nonnulli, et plerique etiam

viri

viri docti ex pervulgatis certitudinis gradibus, nempe Metaphysica, Physica, et Morali, ut nempe prima certitudo gradum omnem evidentiæ complectatur, ea minor sit Physica, qua minor itidem Moralis, ad quam consensus omnium gentium referatur, hoc argumenti genus infirmum, et debile esse arbitrantur. At scimus hoc ex arbitrariis placitis, et Critices notionalibus canonibus præscriptum esse: distinctio siquidem triplex non graduum certitudinis significat mensuram, sed principiorum unde demonstrationes habentur diversam naturam, et conditionem, ut quæ inde sequitur certitudo, et argumentum eamdem convincendi, et detinendi intellectum vim habeat parem, et gradum. Sed ex diversitate principiorum diversa non oritur certitudo, sed hæc una est in geometricis, ac in moralibus: falsa enim sententia, et dubia infirmitas quædam intellectus est, et nequit esse semper, et in omnibus. Veritas igitur, quæ ex consensu omnium gentium derivatur non potest esse falsa. Hoc principium certitudinis moralis eamdem nobis demonstrationem parat apodicticam, ac quodcumque aliud geometrarum axioma, ut propterea eo utrumque nitatur, quod idem non potest simul esse, et non esse. Rem hanc viri acutissimi contra nonnullorum malam moralis certitudinis interpretationem, et intelligentiam institutis elucubrationibus nuper ostenderunt: quorum rationibus nos quoque convictos ita fatemur, ut in ipsorum sententiam prorsus descendamus. Præterea hujus nostræ demonstrationis vim non infirmant desperatæ causæ patroni dum omni ætate Atheos fuisse pronunciant, numerantque sectas integras, et Americæ, et Asiæ plures nationes. Atqui de Sinensibus dum aliqui omnimodam eorum, puramque Religionem infirmis sane, suspectisque testibus laudant, alii purum, putumque Atheismum redolere affirmant. Sed non dubiis argumentis demonstramus Deum cæli, et terræ Dominum coluisse. Parum, immo nihil, proficiunt, qui hoc argumentum vanum dicunt, quod a politicis, et legumlatoribus Dei cognitio invecta sit ad continendos in officio populos, vel ex metu, et terrore Dei opinio invecta sit. Contra hæc omnia statuimus.

17. Consensus omnium gentium pro Religionis negotio firmum, validumque præbet veritatis argumentum.

18. In Deo admittendo, colendoque consensere omnes gentes, populique omnes.

Athei

VI.

Athei in defectu peccant nullum admittentes Deum; Gentiles vero, quod plures habeant in excessu. De origine Idolatriæ non una est Eruditorum opinio. Principio certissimum dicimus, homines in uno admittendo Numine, supremoque cæli, et terræ, omniumque Factore consensisse. Deinde plures admisisse: ut propterea vera Religio falsam præcesserit, ut veritas errorem. Quamobrem adsurdissima est quorundam recentium opinio, qui volunt Theismum veram unius Dei Religionem esse Polytheismo, et superstitioni posteriorem, quia non est verisimile, ajunt, populos plus sapuisse, cum adhuc barbari, et inculti essent, quam cum exuta barbarie litteris, et artibus vacare visi sunt. Contra quos ratio, et fides clamant, dum veram Religionem non hominum inventum fuisse, sed a Deo primis hominibus veri unius Dei cultus revelatione datam. Jam vero Polytheistæ mundum a pluribus Diis gubernari statuunt: et licet horum error variari possit; et variæ sint gentilismi species; cedunt omnes si unus demonstretur Deus. Naturalibus igitur rationibus unitatem Dei propugnandam suscipimus. Quoniam vero miracula, et prophetiæ veræ Religionis characteres sunt, quid de miraculis, et oraculis Gentilium sentiamus paucis exponendum. Negamus imprimis vera fuisse miracula, vel Dæmonum arte, vel Idolorum virtute, quæ a gentilium Historicis facta esse narrantur. Fuerunt vel ludificationes phantasiæ, et sensuum, vel ministrorum fraudes, et artes Dæmonum. Non possumum tamen in eorum descendere sententiam, qui hæc omnia conficta esse ab Historicis arbitrantur? Cæterum id præterire non possumus in tanta scilicet cultorum Numinum copia, unum semper eminentissimum cognitum ubicumque fuisse. Dii quoque majorum gentium admittebantur, inter quos divisum erat rerum omnium imperium: Jupiter cælum, et terram; Neptunus mare; Pluto tristes inferni regiones regere credebantur: Erat et quasi infinita alia Deorum turba, qui certis negotiis præerant, quibusque proinde multa superstitione preces adhibebantur. Absit tamen, ut Gentilium cultus, et ritus ad Christianos, ut quidam volunt translati dicantur. Quare

19. Polytheismus impiissimus error rejiciendus est.

20. Unicus Deus est, ut sacræ Litteræ, et ratio evidentissime demonstrant.

21. Gen·

21. Gentilium miracula, et oracula ab eorum Diis non prodiere.
22. Licet ab hominum malitia, et cupiditate plura, non tamen omnia.

VII.

Inter Polytheistas dubitari non potest nonnullos fuisse, qui adeò desipuerint, ut divinam naturam corpoream, humanamque sibi confixerint, quorum insaniam simplicitas, et immaterialitas divinæ naturæ necessario demonstrant. Præter quos insanientes homines, alii hac in re reprehendendi sunt, quos Antropomorphitas hæresum historia appellat. Hi Deum habere corpus humanum, et proprio sensu organa sensoria statuunt, ut propterea imaginandi vim habeat; nervos, et cerebrum, manus, et pedes quorum ope quidquid extra se est, agit, certamque spatii partem implet. Atque hæc omnia ex abusu, et mala intelligentia sacrarum scripturarum admissa fuisse dicitur. Nemo autem non videt Antropomorphismum facile in materialismum induci. Hic error in crassum, et subtilem dividitur, ut ille corpus, iste affectus humanos in Deo ponat. Utrumque refellimus, tantumque errorem nulla ratione tolerandum esse definimus; dogma quippe Fidei est, et non adiaphora opinio, Deum omnis corporis expertem esse; cujus dogmatis haud oppositum aperte docuere Melito Sardensis, Audius, Tertullianus, et Epiphanius. Horum dicta in catholicum sensum interpretari possunt: de Audio tamen, a quo Antropomorphitæ, qui et Audiani, dicimus, minus caute loquutum fuisse; hinc enim et apud quosdam Monachos Egypti, in Africa, et in Italia sæculo Ecclesiæ decimo error hic adeo invaluit, ut catholicæ sententiæ defensores, impietatis rei dicerentur, ab Ecclesia, et a mundo exterminandi. Quam opinionem ex rusticitate mentis, et ignorantia ortam fuisse sancti Patres asseruerunt. Non inde tamen Genevensis Philosophi quis adoptet judicium, et præceptum, parvulos scilicet, et adultos antequam ad vigesimum ætatis annum pervenerint in elementis Christianæ Religionis non esse instituendos, cum quæcumque ipsis de Deo addiscenda exhibentur, ab iisdem nonnisi corporeis imaginibus repræsententur, ac in Antropomorphismum crassa ignorantia dilabantur; hinc enim Antropomorphitas innumeros apud Christianos colligit impiissime laudatus Auctor. Quamobrem

23. Antro

23. Antropomorphismus dummodo verus ; et realis error sit, refellendus est.

24. Christianæ Religionis dogma est, Deum esse incorporeum.

25. Deum simplicissimum, omnisque compositionis expertem et Revelatio, et Philosophia demonstrant.

26. Inter ejusdem attributa distinctio realis quocumque sensu admittatur, divinæ opponitur simplicitati.

27. Ab omnis erroris impacta labe Melito, Tertullianus, Epiphanius defendi possunt.

VIII.

Infinitum esse Deum, summæ, et absolutæ perfectionis, scilicet infinitæ potentiæ, unde omnipotens, infinitæ scientiæ, unde omniscius, et infinitæ bonitatis, unde optimus, non fide tantum credimus, sed luculentissima ratione demonstramus. Contra utramque errant, qui asserere non verentur Deum tantum infinitum esse, quia ejus fines non comprehendimus, ut propterea non aliquid in re significemus, sed inpotentiam tantum nostram in animo fines illius rei non assequi, confitemur; neque enim ulla est infinitatis idea, conceptus, phantasma ullum. Relativam ergo infiniti ideam habemus, et Deum honoris gratia infinitum nominamus. Quibus verbis quis non videt divinam naturam penitus tolli, Deus enim infinitus absolute est, omni principio, et fine carens, infinitis perfectionibus cumulatus. Hinc etiam æternus, et immensus, quippe qui et respectu temporis, et respectu loci infinitus sit. Non ita tamen æternum dicimus, ut ejus ideam concipere valeamus. Si enim est tota simul, et perfecta interminabilis vitæ possessio, ignotam rem per ignotiorem non explicamus, seu idem per idem; sed incomprehensibilis Entis rationem adæquatam non damus, sed aliquo modo explicamus, quin ad æternam temporis successivam durationem nos conferamus, et novum enigma edamus; in quolibet enim successionis instanti infiniti Entis limites signare quisque potest, prius et posterius, majus, et minus, et dicetur Deus modo plures annos, vel sæcula vixisse, quam quando mundum creavit. Porro dum Divinitatis incomprehensibilia mysteria nova quadam explicationis via intelligere quis audet, in maximos prolabi errores sæpe vidimus. Cum igitur Deum esse æternum defendimus, id sine ulla prorsus successione confitemur. Deus enim ex hoc immutabilis est; cum sit æternus, necessitate naturæ exi-

stit,

ſtit, et eſt a ſe; ergò immutabilis, ſed eſt et liberrimus; et ſua ſtat libertas optimo jure cum immutabilitate. Infinitus tandem Deus eſt reſpectu loci, et dicitur immenſus, et non ſapientia, et potentia tantum, ſed et ſubſtantia ſua, et eſſentia. Ubique locorum exiſtit modo quidem nobis impervio; temeritatis propterea accuſandi ſunt illi, qui naturali ratione explicare hunc aggreſſi ſunt, per formalem nempe extenſionem, quam nihil aliud eſſe niſi ſpatium inde exponunt: ſpatium quippe ens reale, absolutum, infinitum, increatum, immo Entis perfectiſſimi proprietatem, ipſumque Deum eſſe pronunciant. Hanc æternam, realemque extenſionem Chriſtiana Theologia rejicit omnino, ſicut ens quodlibet infinitum, æternum, et immenſum extra Deum. Quidquid enim exiſtit formali præditum extenſione ab aliqua cauſa productum eſſe, niſi Spinoziſmus admittatur, ſancte, firmiterque tenendum eſt. Igitur

28. Deus infinitus eſt, non honòris cauſa, ſed quia abſolute omni fine caret, infinitiſque perfectionibus præditus eſt.

29. Æternus quoque confitendus Deus, non ſucceſſiva, ſed ſimultanea duratione.

30. Immenſus omnino ſapientia, potentia, et ſubſtantia ubique præſens.

31. Liberrimus, et tamen immutabilis.

32. Hæc autem omnia nec mundano ſpatio, nec ulli rei præter Deum tribui poſſe Religio Chriſtiana decernit.

IX.

Quamvis plerique, qui Deum providentiſſimum eſſe negant, id agant, ut liberius vivant, praviſque animi, et corporis motibus indulgeant, libertinorum propterea impium, laudatumque principium ſit; Deum ludere in orbe terrarum, nec noſtra conſiderare: alii tamen infirmo rationis lumine ducti, licet Deum aliquibus providere fateantur, rebus omnibus tamen negant, contingentibus nempe, et liberis, ſublunaribus, et individuis. Plura enim occurrunt, quæ ſi providus Deus eſt, explicari nequeunt, captumque ſuperant humanum. Quod etiam ſi concedatur, non inde negari debet providentia, quæ tot rationum momentis demonſtratur in Deo, qui ſi non providentiſſimus eſt, Deus non eſt. Qui ergo providentiam negant, fortunæ, et caſui omnia adſcribant. Porro cum providentia ſit ratio

ordinans

ordinans res in finem, et hujus ordinis executio: utrumque demonſtrandum eſt. Jam vero ſi eſt ratio ordinis rerum in finem ſcientiam rerum omnium habeat Deus neceſſe eſt, quin rerum omnium contingentium, et humanæ libertatis naturæ quidquam auferat: immo ſcientia Dei futurorum omnium causa eſt. Quæcumque ergo futura, non ideo novit Deus, quia futura ſunt, ſed ideo futura ſunt quia novit Deus. Ordinis vero executio, quod eſt alterum providentiæ caput, ita ordinatiſſime a Deo fit, ut nulla vel minima res vigilem, et operoſum Deum fugere valeat, nec ipſe unquam providens vilibus rebus, et minimis a majeſtate ſua cadit. Hinc omnium ingratiſſimi haberi debent, qui divinam providentiam non agnoſcunt, dum omnibus ab ipſa bonis largiſſime cumulantur. Sunt tamen alii, et fuere, qui cum viderent mala plura in mundo eſſe, et peccata non tolli, divinam denegarunt providentiam. Implexa ſane hæc videtur de malorum origine inquiſitio, num ſcilicet Deus bonus, juſtus, miſericors, omnipotens, et ſanctus unus cum ſit bona cuncta creet, et inducat. Antiquiſſimus error eſt Dualiſtarum ab Orientali philoſophia derivatus, qui Deum ſummum bonum, et Deum ſummum malum admittit, ille omnium bonorum, hic malorum cauſa. Si enim nihil ſine cauſa fit, et bonum cauſa mali eſſe non poſſit, neceſſe eſt, quod in natura, ut boni, ita etiam mali ſummum principium exiſtat. Secundo Eccleſiæ ſæculo hanc Gentilium opinionem adoptarunt hæretici quidam Cerdoniani dicti, quos poſtea ſecuti ſunt Marcion, et Apelles, hos vero Manichæi, qui falſum de duobus Diis, abſurdiſſimumque dogma longe, lateque vulgarunt. Hi deinde variis nominibus reviviſcere viſi ſunt, et ſæculo decimo tertio Albigenſes apud Gallos, Patareni, et Cathari apud Italos vocati sunt, ad quos refellendos plures viri docti lucubrationes ſuas nobis reliquerunt, ad eoſque procul repellendos Inquiſitionis Tribunal Imperialibus ſanctionibus primum, dein Romanorum Pontificum, et Eccleſiæ decretis inſtitutum fuit, pluresque Ordines Religioſos, et Militares Italorum pietas vidit, alluit, et fovit, illorumque monumenta plura reſtant adhuc præclara. Hinc recentes quidam refutantur, qui ſcribere non erubeſcunt, ut infamiam Inquiſitionis Officio creent, ſæculis decimotertio, et decimo quarto nullam in Italia extitiſſe hæreſim, hæreticos nullos, quos ſic dictos fuiſſe aſſerunt partium ſtudio actos, qui Ghibellini erant a Guelphis. Atque hæc dicimus, ut Incredulos nihil novi hac de re prodire quiſque videat: Argumenta plura exornant, quæ veterum sunt deliria,

ut

ut ostendant mala physica, et moralia a Deo bono esse non posse: Quod si mala hæc plura sunt, Deus malus existit, Deique perfectissimi nulla providentia. Sunt qui data opera magnis voluminibus hæc argumenta exornant, et prosequuntur; sed frustra laborant: dum enim Deum providentissimum aperimus, unicum defendimus, et malorum causam assignamus. Mala physica ad totius universi perfectionem spectant, et bonum sunt; Moralia vero mala nonnisi ordinis et rectitudinis privatio cum sint, defectibilem creatam voluntatem causam habent. Quamobrem

33. Deus omniscius est, quin humanam lædat libertatem.

34. Providentissimus quoque Deus est, et de omnibus maximis et minimis curam habet.

35. Mala quæ sunt in mundo stare possunt cum divina providentia.

36. Nec duo admittenda sunt æterna principia bonum, et malum, hoc enim divinæ unitati, non minus providentiæ, et bonitati opponitur.

37. Nòn est Deus auctor peccati, licet et certo cognoscat, et permissivo velit decreto.

X.

Jam veró cum Deus infinitis perfectionibus cumulatus sit, atque generali providentia omnia regat, atque administret, specialique cura rationales creaturas, et liberas, nempe homines, quas ad altiorem, perfectioremque finem dirigit, scilicet ad Deum ipsum cognoscendum; ad hunc autem finem eos Religio ducat; homines debito honore colere Deum, et amare tenentur: igitur vera Religio hominem docere debet, quid credendum, quid sperandum, quidve amandum sit. Atqui hæc omnia nonnisi duplici interno, externoque cultu perfici possunt; utroque igitur tenetur homo. Internus quippe cultus in mentis devotione, et cordis affectibus sistit, alter vero orationibus, sacrificiis, piis quibusdam cæremoniis perficitur. Rigidiores Deistæ utrumque negant, eo quod Deus obsequiis nostris non indigeat: mitiores vero vel interiorem negant externum præcipientes, hypocritismum, seu Pharisæismum impie commendantes; vel interiorem unice quærunt, et exteriorem, uti superstitiosum omnino exprobrant, et calumiantur. Primum Politicis, alterum Libertinis

acce

acceptiſſimum. Noviſſimi vero juris naturalis Tractatores oppido falluntur, dum utrumque cultum ab hominum naturalibus officiis erga Deum ſaltem directe exulandum præcipiunt. Quamvis tamen vel ipſo rationis lumine cognoſcamus Deum interno externoque cultu eſſe colendum: qui vero, qualisque eſſe debeat aliunde cognosci, et detegi debet. Non ratio humana, non natura, ſed revelatio hominibus facta cultum Deo debitum determinare tantum poteſt. Principis eſt decernere quo a ſubditis obſequio ipse colendus ſit: ſi enim unuſquiſque hoc decernere poſſet, cum homines varii in cogitando, et agendo ſint, varius quoque, nec uniformis cultus haberetur. Quilibet pro ingenio suo ſibi Numen effingeret, et pro criminibns etiam alterum advocaret. Non hic memorabo quot ſacrificiorum monſtra ex hac cultus libertate gentiles etiam cultiores ſupremo Numini litare conſueverant: ſatis ſit nominare Baccantium deliria, Orphica myſteria, item Eleuſinia a veteribus deſcripta; humanas hoſtias, abſurdiſſimos cultus, Florales ludos, in quibus non aves, non quadrupedes, non denique ſanguis humanus, ſed multo ſceleſtius pudor ipse Diis offerebatur. Ad revelationem itaque recurrendum eſt, ut tuto ſciamus interno cultu colendum Deum, tanquam primum omnium principium, et ad ipſum omnia, tanquam ad ultimum finem referenda, quo Deum ſuper omnia diligamus, noſmetipſos propter Deum, alioſque in Deo, quo ipſum oremus, uti omnium bonorum largitorem, precibusque Deo dignis honoremus, gratiaſque ipſi agendo. Externo vero cultu ab ipſamet revelatione præſcripto Deus ipſo colendus, quo publicæ preces pſalmis, et hymnis condecoratæ, quo ſacræ cæremoniæ, altaria, templa, veſtes, ornatus, immagines, ſimulacra, Sanctorum exuviæ, quin ulla ſuperſtitionis labes inuratur præſcribantur, ut propterea reprehendendi quam maxime ſint Deiſtæ, et Novatores dum apud Catholicos omnia in cultu externo fœda ſuperſtitione maculata eſſe impie clamant, et conqueruntur. Omnibus enim his externis præſcriptis rebus, et modis ſi exuatur Religio quid amplius remanebit, quo cultus externi utilitas, et ſanctitas, immo ipſamet Religio demonſtrentur? Quare

38. Naturalis ratio oſtendit interno cultu colendum eſſe Deum.

39. Externo quoque cultu ſenſibus omnibus, et corpore eſſe adorandum docet.

40. Rationi naturali ſese opponunt Politici, et Libertini, dum illi internum, iſti externum rejiciunt, et exprobrant.

41. Quo-

Digitized by Google

41. Quonam cultu interno Deus colendus ſit revelata Religio demonstrat.

42 Cultum quoque externum Deo debitum sola revelatio definire valet.

43. Orandus Deus ab hominibus neceſſario eſt, hymnis et psalmis laudandus.

44. Exteriores cæremoniæ, altaria, templa, veſtes, et ornatus, imagines, et ſimulacra religioso cultu ordinari possunt.

45. Nulla eſt ergo in Religione Chriſtiana in exteriori cultu superſtitio.

XI.

Revelationis profectò lumine indiget homo ad ea quoque, quæ juris naturalis, et gentium principia, atque officia spectant. Nullum eſt in universa Theologia tam certum, et firmum, àtque experientia demonſtratum, quam vires hominis poſt Adæ lapsum debiles, et infirmas deveniſſe, ut ad perfectam ipſiuſmet legis naturalis cognitionem sola hominis ratio pertingere nequeat. Sed nulla veritas, ut iſthæc tam acerrimo, hoſtes nacta eſt. Eam non modo explodunt Deiſtæ, qui omnem revelationem de medio tollere conantur, sed aliqui etiam juris naturalis Tractatores, qui tametſi agnoscant neceſſitatem Religionis supernaturalis, contendunt tamen, naturam hominis satis eſſe, ut omnia officia, quæ a lege naturali dependent, poſſint a quolibet non obtuſo, inertique homine perfecte cognoſci. Vel inter Catholicos noſtra hac ætate plures nobiliſſimi ingenii Viri utramque paginam implent, quæſtionem hanc maximo partium ſtudio verſantes, atque eo devenere, ut cum Heterodoxis de ſtatu præsenti humanæ naturæ ſentirent, hominemque facerent, et haberent, ut ipſis eſſet in optatis. Philoſophos se agere, non Theologos clamant, ut revelati luminis neceſſitas ad Theologiam, non ad Philosophiam ſtatuenda, cum unus, idemque homo ſit, una, eademque ratio debilis, et infirma Philoſophi, et Theologi. Quid ipſi Gentiles ſola ratione docuere? permulta recte præcepta nobis dederunt, vix tamen, ac ne vix quidem omnes vitare potuerunt errores. Nullus eorum rerum creationem, veramque hominis originem perſpectam habuit: mundum ab æterno extitiſſe, vel fortuito coaluiſſe ſomniabant: duo eſſe ſumma principia; fato omnia regi, mortales animos eſſe dogmatizarunt. Suicidium, fornicationem ebrietatem, communitatem fæ-

minarum

minarum, crudelem liberorum expositionem laudarunt; immò mendacium, perjurium, vindictam sæpe numero præcepere, ut de his merito concludi possit, neminem ægrotum quidquam somniare tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus; ut propterea falsam eorum sapientiam quis vocaverit, et in omni pene quæstione erraffe alius scripserit, opusque veteris auctoris extet, quod *Irrisio Philosophorum* appelletur. Sola ergo divina revelatio legis naturalis præcepta, et dogmata sine ullo prorsus errore tradidit, Evangelium continet, et Sancti Patres constanter docent. Longum nimis esset de recentium Naturalistarum erroribus dicere. Principium juris naturæ collocant aliqui vel in unicujusque utilitate, in propriæ vitæ conservatione alii, in quodam animali appetitu, in socialitate, in ordine naturæ, in essentia hominis, in amore; ut propterea vel purum, putumque Epicureismum, vel merum Stoicismum doceant: unus alium corrigit, emendat, redarguit, rejicit, explodit. Mendacium, fænora, polygamiam, suicidium, monomachiam, et dissolubile conjugium docent. Jam vero si seposita revelatione solo naturali lumine omnibus numeris absoluta lex, vel jus naturæ haberi posset, profecto habuissent philosophi, qui maximo ingenio præditi omnem navarunt operam, ut id assequerentur. Si igitur tot sæculorum experientia contrarium evincitur, vera hæc erunt.

46. Ad legis naturalis perfectam cognitionem necessaria est divina revelatio.

47. Juris naturalis, et gentium disciplina non sine piaculo solo rationis lumine tractari potest.

48. Justi, et recti officia ex libris Gentilium, et recentium Naturalistarum operibus addiscenda tuto non sunt.

49. Christianæ Religionis Moralis Doctrina sancte, et ex integro in sacris Litteris, et in sanctorum Patrum scriptis inquirenda est.

50. Sine revelationis, et Gratiæ auxilio nemo Gentilium æternam felicitatem consecutus est, et consequetur.

XII.

Sicut Gentilium fuerunt aliqui Christianos fieri nolentes, quia putabant ad salutem sufficere æternam, si bene, et honeste vivant, supervacaneum quod etiam crederent, quæ non intelligerent: naturalistæ moderni toti sunt, ut omnem veritatum supernaturalium reve-

lationem rejiciant, solamque legis naturalis observantiam necessariam esse contendunt. Porro non bene vivit, qui Deo non credit; sicut enim concupiscentiæ oculorum lex, et justitia, concupiscentiæ carnis pænitentia, et mortificatio; ita superbiæ mentis submissio, et captivitas intellectus unice reponenda sunt: sed hæc non alia, quam quæ divinæ auctoritati mentem submittit. Credendum ergo est, quod divina revelatione constat, et primo internæ hominis corruptionis originem, causamque nonnisi ex homine ipso esse repetendam, et tanti mali remedium nonnisi ex divinæ pietatis, et sapientiæ arcano. Profecto tantam hominis corruptionem naturalem, vel ex Deo esse quis potest affirmare? supernaturalis itaque est, quod vel ipsi Philosophi, et Cicero ipse agnovere; quænam autem divina potest revelatio solum aperire: hæc autem primi hominis culpam causam esse, et originem docet; Incarnationem vero Divini Verbi remedium. Ex his duobus universa lex pendet, et prophetæ, totius mundi historia, humani generis per tot sæculorum myriades vicissitudines, Imperiorum, bellorumque, cladium, et omnis lacrymabilis fati series pendent, Judaicæ gentis ritus, et cæremoniæ, leges, et religio, Idolatriæ monstra, et densissimæ tenebræ, humani intellectus, et voluntatis, viriumque omnium debilitatio, vetus, et novum Testamentum, gratia, et gloria, virtus, et vitium pendent. Quamobrem vires omnes insumunt Increduli Pelagianorum vestigia sectantes, ut persuadeant intestinum hominis bellum, cæterasque infirmitates nullius corruptionis indicium esse, aut effectum, sed illi, ut est habere partes corruptioni, et dissolutioni obnoxias, prorsus naturale. Sed et si hoc possibile attenta humana natura concedatur, qua poterit esse ratione divina inspecta providentia? Nec eadem est corporis, et animæ conditio. Quidquod hæc intestina discordia non est adeo necessaria, ut sine illa homo creari, esse, aut concipi non possit? Quamobrem quis æquo animo Deistarum ferat audaciam, dum universam de primævi hominis lapsu Mosaicam narrationem innumeris contradictionibus, Æsopianis fabulis, mythologicis, et methaphoricis scatere affirmant? Eos præiverant Pelagiani quinto Ecclesiæ sæculo, qui tot turbas in Ecclesia excitarunt, damnatique fuerunt. De serpentis natura, loquela, et artibus, de fructus vetiti vaga, incognitaque, infelici arbore, deque aliis insignibus scientiæ boni, et mali, et vitæ arboribus, deque aliis inumeris, quæ originalis culpæ historiam consectantur non breves opponunt audacissimi animadversiones. Sed hi nodos quærunt ubi scirpus est. In hoc corrupto naturæ statu violatis per peccatum æ-

ternis

ternis legibus Deum graviter offendit homo, iratumque sibi vindicem Deum reddit. Qui ergo fieri potest, ut sola naturali ratione sufficiens medium Deum placandi adinveniri queat? Omnia, quæ ad id hactenus excogitarunt Deistæ, inepta prorsus videntur. Etenim qui ita Deum constituunt, ut ratione bonitatis Suæ debeat, aut saltem jure absoluti dominii reum absolvere possit, quin tamen aliquam ab eo pænitentiæ, et satisfactionis conditionem exigat, nonne infinitam, et intolerandam peccatis licentiam concedunt? nonne divinæ sanctitatis, sapientiæ, et providentiæ æternas leges funditus tollunt? Sed nec est cur ad ipsam pænitentiam confugiant, quæ non ita per se est comparata, ut certam remissionis, et gratiæ spem peccatorum animo ingerat. Quærendum enim adhuc est, num Deus eam acceptare velit, et quidem semper, ac ipse reus peccat, quod frustra quis religione naturali sciscitabitur. Postremum super est Deistis effugium, videlicet, sacrificiorum vis, atque efficacia. Verum etsi non ignoremus auctores magni nominis ex veteribus æque, ac recentioribus statuisse non a speciali, et expresso Dei mandato, sed ab ipsa conscientia, et natura hominibus sacrificandi religionem dictatam, attamen et sanior ratio, et scriptura clare manifestant sacrificia per se Deo haud placere posse, nec quidquam ei voluptatis afferre. Accedit præterea, quod sciendum adhuc sit quid sacrificandum, et quomodo sacrificandum esset, quod ipsa ratio non dictat. Neque quæ ad cultum religionis, et Sacramentorum pertinet ex hominum arbitrio pendent, sed ex solius Dei decretis. Igitur cum ratio nostra sibi relicta nullam tutam ad salutem viam, et divinæ gratiæ reconciliationem investigare, et invenire queat, desperandum nobis esset, nisi alio medio extra naturæ ordinem divinitus revelato in certam spem erigeremur. Quod sane medium ipsa veritate compulsi aliquando agnoverunt iidemmet Deistarum patroni. Ex his itaque statutis sequentes disputationi damus

51. Extat in homine interna corruptio, et perduelle bellum homini ipsi prorsus non naturale.

52. Hujus corruptionis causa, et remedium non ratione, sed supernaturali revelatione cognoscuntur.

53. Medii quoque Deum offensum placandi notitia ab ipsamet tantum hauriri potest revelatione.

54. Absque ulla conditione non potest Deus jure absoluti Dominii reo veniam impartiri, nec ratione suæ misericordiæ.

55. Pecca-

55. Peccatoris voluntaria pænitentia non est expectanda, sed justa expiatione, et satisfactione sancita speranda remissio.

XIII.

Possibilitatem, et necessitatem divinæ revelationis ad veritates naturales, et supernaturales cognoscendas hactenus demonstravimus: superest nunc ut ejusdem possibilitatem, et necessitatem in mysteriis, quæ captum mentis nostræ superant, ostendamus. Invisum, immaniterque molestum Deistis est mysterii nomen a religione prorsus eliminandum; nullum non movent lapidem, ut persuadeant religionem omnis mysterii expertem esse debere. Mysterium propterea omne de medio tollere nituntur, clamant illud contra rationem esse, quia quod secundum rationem non est, rationi dissonum esse debet, hoc est contra rationem. Mero hocce sophismate gloriantur quamplurimum; sed cum inter ea, quæ sunt secundum rationem, et ea quæ sunt contra rationem ea admitti debeant, quæ sunt supra rationem, illud plene solutum manet. Frustra humanam rationem totius Religionis, et veritatis mensuram dicunt, cum omnis Religio Deum, in quo infinita sunt mysteria, et ipse mysterium absconditum sit, respiciat. Reponunt religionem hominis viribus accomodatam esse debere doctis, indoctisque æquo jure congruere: talis ea non est, in qua mysteria, ænigmata inexplicabilia inveniuntur. Sed nihil magis a veritate alienum: religio enim vera proponere debet, quæ Dei essentiam, attributa, voluntatem, decreta, atque operationes spectant; hæc autem omnia, cum infinita sint, infinite exiguam, debilemque rationis nostræ mensuram excedant oportet. Sane mysteria nobis apparent non ut sunt in se sed, ut a nobis ferri possunt, exhibent aliquid, quod principiis rationis non apprime congruit. At si ea, ut in se sunt, nobis intueri liceret, principiis per se notis apprime congruerent. Sunt itaque necessario incomprehensibilia, et obscurissima, non tamen impossibilia: quid namque obscurius infinitate, divinæ naturæ, infinitisque Dei perfectionibus quid incomprehensibilius? Hinc Sanctissimæ Trinitatis mysterium, divinæ Incarnationis, scientiæ, et voluntatis, prædestinationis, et gratiæ arcana, quæ si talia non forent, Deo digna non essent: hinc Sacramentorum vis, et efficacia, veritas, et excellentia. In natura quoque, et in Philosophia obscurissima plura, et incomprehensibilia, non tamen impossibilia occurrunt. Quamobrem summus Matheseos Professor, Vir usquequaque clarissimus, et pi-

us Co-

us Concivis noster Comes Jacobus Riccati, quem honoris gratia nominamus, in geometria, et universa Mathesi hæc omnia una æque haberi ostendit. Ex quo, inquit, recentiores Geometræ uti cæperunt quantitatibus relative infinitis, atque infinitesimis, convicti sunt, quod ipsarum respectu non verificantur axiomata nonnulla, quæ in magnitudinibus finitis certissima sunt, neque exceptionem admittunt. Immo tritum illud axioma: *Totum esse sua parte majus*, sæpe locum non habet in illa magnitudinum specie, quæ cum sint maximæ, vel minimæ, fiunt relative incomparabiles. Sequens etiam axioma: *Si ab æqualibus æqualia demas, ea quæ remanent, sunt æqualia*, locum non habet, quando regredimur, et procedimus ab infinito ad finitum. Insuper: veritates ipsæ Mathematicæ, ut pariter observat in Epistola ad Maupertuisium, nonne nobis repræsentant aspectus, qui scandalum pariunt, et sub quibus falsæ videntur iis omnibus, qui sufficienter geometræ non sunt? Quis est, qui primo intuitu id omne non rejiciat, quod ipsi enarratur de incommensurabilibus? quod nempe dantur quantitates, quæ divisæ in partes, quantumvis parvas, attamen partes unius nunquam possunt alterius partes metiri: quod lineæ nonnullæ semper ad se ipsas accedentes, nunquam tamen copulantur: quod series inveniuntur infinitæ numerorum, quarum termini omnes simul conjuncti non efformant nisi finitam summam. Et tamen mysteria ista necessario consequuntur ex natura extensionis, cujus idea simplicior est, et clarior iis omnibus, quæ ad humanum spiritum attinent. Quæ cum ita sint, quis erit, qui comparare audeat prima Matheseos axiomata cum Christianæ Religionis mysteriis; ut inde deducatur impossibilitas? Et si hisce non obstantibus mysteriis Mathematicis, nullum in ipsa Mathesi impossibilitatis periculum oritur, quo timendum erit ex parte Religionis? Jam vero necessario mysteria in vera Religione admittenda sunt: tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod ab homine de Deo cogitari potest, cum naturalem hominis cognitionem infinite divina natura axcedat. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quæ rationem superant, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest; sed si omnia, quæ de Deo proponuntur, ab homine omni ex parte intelligerentur, et comprehenderentur, vel Deus infirmam hominis, limitatamque naturam haberet, vel homo infinitam Dei excellentiam æquaret. Utrumque autem indignum, et improbandum. Absit vero, quod hinc aliam dicamus veritatem Fidei, et Revelationis, et aliam Philosophiæ, et Rationis, et

de una,

Digitized by Google

de una, eademque re duæ dari possint simul veritates una Fidei, altera Rationis. Hoc damnatum paradoxum renovant Deistæ, quod tamen ipsius rationis principiis falsissimum ostenditur. Quod enim humanæ rationi contrarium est, est quoque divinæ contrarium. Nam utriusque principia eamdem respiciunt veritatem. Non est ergo divortium Fidem inter, et Rationem admittendum, multoque minus pugna adest ulla inter utramque, alias Religionis Christianæ dogmata in purum, putumque convertenda sunt scepticismum. Ex quibus hæc sequuntur

56. Potest Deus nobis naturæ suæ arcana revelare, et credenda proponere.

57. Hæc sunt mysteria necessario in Revelatione contenta.

58. Absit tamen, quod hæc sint contra Rationem, licet supra Rationem admittantur.

59. Mysteria revelata non sunt puræ voces, purique soni, sed veritates sunt, quæ maximam habent vim ad mores hominum informandos.

60. Duo contradictoria, quorum alterum Rationis sit, alterum Revelationis, ambo vera esse non possunt.

XIV.

Quibus notis vera a falsa Revelatione distinguatur, sciscitantur Deistæ, qui perpetuo nobis objurgant, et opponunt falsas Revelationes. Jam enim, ajunt, revelatæ Religionis sistemate admisso, fanaticorum quilibet suas venditabit visiones; immo quisque in positiva Religione, in qua natus est, obstinato manebit. Sed frustra: certum ad veram ab hominum illusionibus, et fraudibus internoscendam Revelationem Criterium habemus, et quidem evidentissimum: Miracula nempe, et Prophetias, ut nihil modo de doctrinæ sanctitate, et sublimitate dicamus. Miraculum, cum non aliud sit, nisi opus, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, a solo Deo auctore naturæ procedere potest. Ab hac D. Thomæ Aquinatis definitione distant illæ, quibus miraculum opus definitur mirum ab aliquo Ente intelligente, hominique superiore patratum contra ordinarium, constantem, et uniformem causarum secundarum cursum, vel quod opus sit sensibile a nobis spectatum quasi divinum, nostrisque viribus superius. His definitionibus miracula etiam ab Angelis, et a Dæmonibus

fieri

Google

fieri possent, nec ullam amplius haberent confirmandæ veritatis efficaciam. In idipsum recidit et illa, qua miraculum effectus dicitur rarus, et stupendus ex incognita, sed naturali legum generalium harmonia, et temperatione profluens. Quæ definitio excogitata fuit, ut possibile miraculum adstrueretur, dum vim adimit, et efficaciam. Dei omnipotentia, et veracitas sibimet contradicere nunquam possunt: ergo si quod opus a divina omnipotentia fit, fieri non illud potest nisi in veræ doctrinæ testimonium; ac propterea certa divinæ revelationis nota. Nullum non movent lapidem Deistæ, ut hujus argumenti vim eludant; universæ Physices phœnomena, præsertim Electricismi in medium adducunt, leges naturæ ignotas exaggerant, Dæmonum præstigia, hominum ludificationes advocant, immo Polytheistarum falsissima miracula opponunt. Sed hæc omnia talia non esse ut vel minimum thesim nostram infirment, vel ex eo patet, quod naturæ mirabilis quicumque effectus et Dæmonum arte, et hominum fraude patratus distabit semper, et æternum distat a miraculo vero, quod proponimus. De vi prophetica id ipsum pronunciamus. Futura certo, et infallibiter scire, et prædicere non potest nisi Deus; si ergo homines aliqui futura certo nunciarunt, Deus locutus est in eis. Non solum Increduli hanc divinæ revelationis notam explodere nituntur, sed inter Christianos inventi sunt aliqui, aut nullam, aut exiguam propheтiis vim inesse docentes ad probandam Religionis Christianæ veritatem; omnium pessimi Sociniani prophetias abstulerunt omnino, certam futurorum contingentium præscientiam Deo denegantes. Sunt ergo Prophetæ delirantes homines vivida imaginatione, et fervida acti phantasia, fraudolenti Circulatores, qui cum multa prædicere soleant, casu nonnumquam in veritatem collimant, et veluti Astrologi judiciarii, qui dum aliis monstrant viam, sibi semitam ignorant. Tandem prophetias typice, allegorice, ænigmatice sensum suum præseferre, qui nec naturalis sit, nec certis regulis determinari possit, audacter alii pronunciant. Quare concludere non verentur prophetias ejusdem naturæ esse, ac Gentilium Oracula, ut vel utraque incerta, et fallacia, vel utraque vera, et divina. Singula hæc falsa, et iniqua sunt. Propheta siquidem, licet in Scripturis latius patere soleat, attamen propria significatione eum virum Dei notare intelligimus, qui arcana divinæ voluntatis de rebus futuris, sive etiam præteritis, et præsentibus sola revelatione didicit. Spiritus, quo afflati erant veri Prophetæ, Sanctus Dei Spiritus fuit, ut non propria, sed divina volun-

tate

696

tate locuti intelligantur; et quæ hoc modo patefacta eis fuerant solius divinæ sapientiæ propria, et superhumanæ intelligentiæ vires longe posita, perspicue in Scripturis asseruntur. Quibus testimoniis quid certius, et validius, ad indigitandam et comprobandam immediatam divinam Vatum revelationem? Quamobrem non satis mirari possumus manifestam audaciam, et impietatem prophanorum hominum, qui ut omnem divinam revelationem de medio tollant, pertinaciter negant, Veteris, Novique Testamenti Vatibus mentem divinam unquam extraordinario modo fuisse revelatam. Quamobrem Regium Psaltem, aliosque Biblicos vates nonnisi excellenti Hæbraicarum Musarum genio præstitisse venditant. Quare

61. Miraculum illud tantum dicimus, quod effectum præter ordinem totius creatæ naturæ significat.

62. Miraculum sic sumptum, considerato quocumque rerum immutabili ordine, possibile est.

63. Nec ab homine, nec a Dæmone, nec ab ulla creata vi, ut a causa efficiente prodire potest.

64. Homines improbi, et mali instrumentalis causa miraculorum esse possunt.

65. Non tamen in confirmationem erroris.

66. Miraculum ergo proprie dictum a solo Deo hauriri potest.

67. Vera miracula habita modi, et usus ratione a falsis certo distingui possunt.

68. Miracula sunt veræ notæ divinæ revelationis.

69. Prophetia earum rerum est, quæ humanæ phantasiæ et intelligentiæ vires excedunt.

70. Prophetia sic strictè, proprieque sumpta possibilis est.

71. Hujus donum non solum sapientibus, sed et rudibus a Deo confertur.

72. Et quidem influxu, et commercio veri Dei Spiritus ab humano omnino distincti.

73. Vis prophetica divinam demonstrant revelationem.

74. Religio ergo Miraculis, et Prophetiis firmata non potest non esse vera, et divina.

THEO-

THEOLOGICARUM
EXERCITATIONUM
PARS SECUNDA

DE DIVINÆ REVELATIONIS EXISTENTIA.

I.



Taque cum ratio naturalis homini lapso erigendo in hoc corrupto naturæ statu non sufficeret, Deus, qua est bonitate humani generis misertus, quosdam inter homines elegit, quibus multifariam, multisque modis per extraordinariam revelationem se, suaque consilia patefaciens, mediis omnibus nobis abunde providit, quibus eum vere cognoscere, sincere amare, rectè colere, et in suam gratiam, atque amicitiam redire possimus; postremo immortalitatem assequamur. Qui hoc divinum habuerunt commercium nuncupati sunt homines a Deo inspirari, scilicet per somnium, vel visionem, per voces, vel figuras. Jam vero omnes revelationes immediate a Deo factæ ad duo tempora referuntur, ad vetus nempe Testamentum in Prophetis, et novum in Christo. Hæc autem veteris Testamenti revelationem inter, et novi distinctio est: quod illa ad quatuor veluti temporum epochas reduci potest, hæc ad unam tota quanta est facta fuit Apostolis, aut per Jesum Christum Salvatorem, et Magistrum nostrum, aut per Spiritum Sanctum ab eo missum. Apostoli autem eamdem reliquerunt Ecclesiæ partim in sacris Litteris novi Testamenti, et partim etiam orali traditione, ut nulla proinde in Ecclesia admittenda sit nova revelatio post perfectum, obsignatumque ab Apostolis Librorum sanctorum Canonem; nullæ amplius Ecclesiæ affulgeant Dogmaticæ Prophetiæ, ut propterea, quæ fidei, et morum sunt dogmata, et præcepta ex solis sacris Pandectis, et Apostolica Traditione ope Hermeneuticarum legum, et sacræ Exegesis investigari, et depromi debeant. Primo Librorum veteris Testamenti genuitatem, authentiam, et divinitatem demon-

strandam

ſtrandam ſuſcipimus, et ab Deiſtarum telo viribus totis vindicamus. Moyſem omnium Scriptorum antiquiſſimum, Philoſophum omnibus numeris abſolutum, Legislatorem præſtantiſſimum, Virum virtutibus omnibus perpolitum, ac Dei gratia maxime ornatum, geſta ab ipſomet in conſpectu totius Iſraeliticæ gentis, totiuſque Egypti peracta oſtendunt, miracula innumera, et Prophetiæ, ita ut aliquorum veterum, et recentium Eruditorum opinio ſit, apud Hebræam gentem Apotheoſi quadam maximo honoris cultu habitum fuiſſe, ſed apud exteras nationes, et Idololatras, præſertim cultiores, ut plura ex Moyſe delibarint, quibus eorumdem ſapientiam, Coſmogoniam, et Religionem conſtruxere, ac Numina majora, Heroas inſigniores in Moyſe repræſentaverint. Ignorantiæ ergo, et plagii reum eſſe recentiſſimum Deiſtam dicimus, dum ex fabulis quibuſdam et ex Gentilium Mythologia confictam Moyſis perſonam, totamque ejus hiſtoriam fuiſſe audacter nimis pronunciat, cum e contra pluribus demonſtratum habeamus argumentis ex Moyſis authenticis, et divinis Libris Gentilium fabulas fuiſſe efformatas. Sed quod maxime tantum Virum Dei extollunt ſunt miracula ab ipſomet patrata, et prophetiæ. Utrumque digito Dei omnipotentis operatus eſt Moyſes. Torqueant plurimum ſe divinæ revelationis hoſtes, et negent Moyſis miracula vera fuiſſe ſicut, et prophetias, ſummum Philoſophum habeant, ſed nebulonem venditent. Veterum deliria a modernis magno ſtudio exornata renovantur; Argumentis invictiſſimis demonſtrabimus hæc, quæ ſequuntur.

1. Moyſes non fuit ficta perſona, ſed vera, veruſque Vir Dei.

2. Vera miracula, et plura in ſuæ miſſionis teſtimonium edidit.

3. Maris Rubri trajectio ab Hebræo populo Moyſis imperio peracta naturalibus cauſis explicari non poteſt.

4. Prophetiæ a Moyſe editæ veram Dei virtutem oſtendunt.

5. Quæ ad Chronologiam, Legislationem, Hiſtoriam, et promiſſiones ſpectant optime cum divina Moyſis miſſione conciliantur.

6. Ergo divina Revelatio facta fuit Moyſi, et in Pentateucho exiſtit.

II.

Pentateuchum, ſeu quinque Libros Moyſis integros, et genuinos eſſe plura ſunt, quæ vel evidentiſſime evincunt. Ejus quippe corru-

ptioni

ptioni obstabant Prophetarum auctoritas, Judæorum zelus, tum ipsius Libris usus, et notitia comunis, tum denique factorum, quæ in eo continentur, natura. Sane interpolari non poterat nisi vel a Judæis, vel a Samaritanis, vel a Paganis, vel a Christianis: quis autem ab ullo istorum tantam labem illatam fuisse affirmet? Etenim vel eadem labes in omnibus veteris Testamenti Libris admittenda foret. Sunt quippe cum Pentateucho devincti, et colligati, ut ille labefactari nequeat, quin cæteris omnibus sua pereat integritas. Quæ omnia cum improbari a Deistis nonnisi inutili conatu possint ad illud effugium se recipiunt, ut asserant, Pentateuchum longe post Moysis tempora conscriptum fuisse: immo Increduli breviter, ut solent, alicujus Impostoris fœtum esse definiunt. Atque in suæ causæ patrocinium suppositionem plurium Librorum Patriarchis, qui Moysem præcesserunt adscriptorum, ipsique Moysi in medium adducunt. Tempus, ajunt, fuit, quo Scripturarum omnium exemplaria deperdita fuere, ut propterea Pentateuchus, et Libri plures veteris Testamenti, qui modo circumferuntur nonnisi Esdram habent auctorem, quem propterea horum Librorum plerique Patres, et historici veteres conditorem unicum consignant. Ergo, clamant Deistæ, ab Esdra Libri veteris Testamenti cum Pentateucho confcti, vel interpolati sunt. Etsi autem minus absurda, falsa tamen illorum opinio est, Libros Moysis fuisse deperditos, quando Philistæi arca Domini potiti sunt, eos autem a Samuele ex diversis fragmentis, quæ supererant fuisse restitutos. Quis enim credat nullum aliud tunc temporis fuisse Pentateuchi exemplar præter illud, quod servabatur in arca? Sicut nec Esdræ temporibus omnia periere, Samaritanum sane extiterat. Sunt qui Esdram Librorum conditorem dicunt, quod Chaldaicis Litteris post captivitatem Babilonycam eos descripserit; sed hanc litterarum mutationem non evenisse Eruditi quidam nostræ ætatis defendunt. Neque ulla adjectio facta est, cum omnia consonent cum Samaritano. Si qua ergo in autographo Mosaico mutatio, non quoad substantiam invenitur, factaque fuit ante decem Tribuum schisma, et ante Samaritici Codicis antiquissimam conscriptionem. Quare sequentes propugnabimus

7. Pentateuchus vere a Moyse conscritpus est, et illius auctor est.

8. Hic Liber hoc sensu integer est, qnod non fuit quoad substantiam adulteratus.

9. Teme-

bad
700

9. Temere quis assereret Pentateuchum non a Moyse, sed ab alio inspirato auctore fuisse conscriptum.

III.

Ex Librorum veteris Testamenti revelatione, qua Judaicæ Religionis veritas evincitur ad novi Fæderis, quibus Religio Christiana demonstratur, excurrat oratio. Lex vetus aliam promittebat perfectiorem, quæ illi succedere debebat. Innumeræ sunt Prophetiæ in veteri Testamento, quibus alius nobis post Moysem Legislator, quem Judæi audire debebant, prædicitur, et abrogata veteri Lex nova annunciatur. Dotes, et characteres, ortus, et progenies, tempus, et vita, passio, et mors, novi Legislatoris graphice ab ipsismet Vatibus tot ante sæcula describuntur, et ea omnia ab Evangelistis evenisse legimus. Hi oculati testes fuerunt, illi futuræ rei præcones. Hæc autem Prophetarum vaticinia, figuras omnes, typos, sacrificia, et ritus, adimpleta hæc omnia fuisse in Christo Domino Servatore nostro invictis argumentis ex ejusdem præcipue Christi Domini miraculis, et vaticiniis demonstramus. Vitæ ejus innocentia, et sanctitas, sublimis, ac vera doctrina, beneficentia, et veracitas, fortitudo, ac patientia divinitatem ejus indubitanter ostendunt. Sed miraculorum Christi testes sunt Apostoli, omnisque Judaica gens, ut maximum propterea inter Christi miracula, et Alexandri imposturas statuendum sit discrimen: Hic enim in Paphlagonia rudes, et imperitos decepit, non item Athenis, ubi ejus doli detecti fuissent. Christus autem, ejusque Discipuli Jerosolomis, et ubique palam sua miracula ediderunt. Neque Christi miracula Dæmonis arte, vel ingenii calliditate patrata dicantur, cum utrumque Pharisæis objicientibus Christus ipse diluerit. Tanta enim fuit Pharisæorum de vita, et operibus Jesu-Christi inquisitio, perpetuumque eum condemnandi studium, ut nonnisi calumnianter hæc possunt Christo iterum opponi. Quamobrem cum ad opera, quæ ipse faciebat hostes ejus appellet, et non semel fassi sint, quod opera, quæ faciebat ipse, nemo posset facere, nisi fuerit Deus in eo; ad eadem opera Incredulos quoque revocamus, ut ipsummet fateantur veram Dei doctrinam, revelationemque annuntiasse. Hic enim imperio suo naturam universam, et Dæmones supponit, uno vocis suæ verbo insanabiles morbi cedunt, maris tempestates, nubium procellæ, fames, sitis, cuncta elementa, et mors obediunt. Quinimmo post mortis suæ triduum ad vitam ipse se restituit, et decies post resurrectionem lo-

quendo,

Digitized by Google

quendo; ambulando; edendo, docendo Discipulis suis apparuit; ipsisque Apostolis videntibus est elevatus in Cælum. Atqui hæc divinam ostendunt virtutem. Plura vaticinatus est futura, quæ eventu comprobata fuere: resurrectionem suam, Judæorum reprobationem, Gentium vocationem, Hierusalem obsidionem, et Templi eversionem, ut annunciavit, evenisse scimus. Quid ad hæc Deistæ? Miracula Christi miraculis Apollonii Thianæi comparant; plura ridicula, et indigna: omnia tamen verius allegorice intelligenda. Sed hæc omnia insipientiam impiissimam significare sequentibus demonstrabimus

10. In novo Testamento vere divina extat Revelatio.

11. Vera miracula operatus est Christus in suæ doctrinæ confirmationem.

12. Resurrectio ipsiusmet a mortuis summum, et invictum præbet Divinitatis argumentum.

13. Prophetias quoque edidit plures, et quidem vi tantum divina editas.

14. Ergo Miraculis, et Prophetiis novi Testamenti Revelatio invicte demonstratur.

IV.

Deistarum Princeps Genevensis Philosophus se novi Testamenti ac præsertim quatuor sacrorum Evangeliorum doctrina, ac veritate ita percitum fatetur, ut volens nolens divinitatis eorum summum nobis exhibeat elogium, quo nullum fortasse majus apud Ecclesiæ Patres: at illico in iis plura inepta prorsus, et indigna se reperire conqueritur. Nuperus tamen Auctor Criticis fontibus Religionis Christianæ veritatem, et doctrinam se in examen revocaturum, ut magis, magisque pateat, promittit, ac statim ab Apologistis veteribus, et recentibus non satis probatum fore, Codicem quatuor Evangeliorum genuinum ad nos pervenisse, et inter aprocripha non esse connumerandum, audacter ostendere conatur; pluribus vero ex historiæ monumentis examen suum instituit, et totus est, ut probet Evangelia non esse genuinos eorum, quorum nomina præferunt, fætus. Hæreses plures exordio Ecclesiæ ortas fuisse, ait; gestorum Christi Libros a pluribus fuisse pingui Minerva conscriptos; quod ipse Lucas initio sui Evangelii admonere non est veritus: hinc Libri apocry-

phi, sup-

phi, suppofititia opera ab indoctis, a nebulonibus, ab hæreticis, quorum catalogum texit, conscripta fuere. Inter hæc quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, et Joannis nomine vulgata inter illa connumerari posse merito dubitatur, suæque dubitationis plura adjicit argumenta. Præterea interpolata ea esse, et suppofititia probat ex eo quod aliqua in vetustis codicibus, ut historia apud Joannem de adultera, recitantur, quæ in aliis æque vetustis desiderantur. Infinitæ propemodum sunt variæ lectiones, quarum triginta mille ab aliquibus numerantur. Sed quantum hæc omnia a veritate aliena sint ex ipsismæ historiæ, et Critices fontibus facili negotio demonstramus. Sane quatuor Evangelia ab Apostolis, primoribus Christianæ Religionis Ecclesiis consignata fuere, vel a viris Apostolicis, quæ ut cælestem thesaurum sancte servaverunt, et inter tot persecutionum, hæresum, ac bellorum procellas immaculate custodita fuisse Irenæus, Origenes, et Tertullianus, aliique secundi sæculi, et tertii Patres testes sunt. Quid quod Divi Paulli epistolæ ad tot gentes, integrasque nationes missæ, ab iisque servatæ, quatuor nostrorum Evangeliorum perpetuam mentionem habent? Præterea non tot sunt Evangelia apocrypha, quot Criticus venditat; sed plura ex his unum tantummodo indicant, quod de Evangelio secundum Hebreos, secundum Egyptios, secundum Nazareos, duodicim Apostolorum. Sancti Petri, demonstratum est unum esse Evangelium, Sancti Matthæi ab Hæreticis corruptum; atque sic cætera ad pauca rediguntur, et unum, vel alterum ex quatuor nostris sunt. Veteres Hæretici ex Evangeliis se tuebantur, se excusabant, nec defuerunt, qui veris rejectis falsa Evangelia substituerent, uti Apelles, Basilides, Cærinthus, et alii: tandem vera falsis miscuere, et aliquibus detractis nostra interpolarunt. Tot vero variantium myriades lectiones, ex paulo antiquioribus codicibus, tum manuscriptis, tum editis, atque ex meris Grammatices variationibus conflatæ sunt. Innumeri propemodum Codices sacri descripti sunt ut ad plura millia collectorum Vir Clarissimus, quem existimationis ergo hic appellamus, Matthæus Canonici Venetiis servet; at non omnes a doctis Librariis scripti sunt. Quid igitur mirum si menda plurima reperiantur? Adulteræ historia, si in aliquibus Codicibus desideratur, id vel ex antiquo aliquo pio scriptore evenit, metuens ne historiam hanc fidelium oculis exponendo occasio inde daretur flagitiose virendi, vel quod magis nobis arridet, in aliquibus Codicibus Montanistæ Heretici, qui adulterium peccatum irremissibile volebant, historiam illam expunxerunt. Quamobrem

15. Qua-

15. Quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, et Joannis sunt genuini, et authentici eorumdem fœtus.

16. Hæc authenticitatis nota non supposita, sed ab Apologistis probata fuit, et invictæ contra Incredulos probatur.

17. Quatuor hæc Evangelia quoad substantiam integra ad nos usque pervenerunt.

V.

Divinam revelationem a Servatore nostro publice prædicando, docendo, præcipiendo omnibus doctis, et indoctis factam Apostoli, et Discipuli ejus immediate receperunt, eamque per mundum universum ediderunnt, eorumque prædicationem inter innumera persecutorum, et Philosophorum maledicta, ludibria, et verbera, eam constanter non armis, et vi, non artibus, et fraude, sed summa animi fortitudine ad mortem usque sustinuerunt, suoque sanguine confirmarunt. Hi testes sunt revelationis, sicut et resurrectionis Christi. Mirum est quantum Deistæ adlaborent, ut Discipulorum Christi testimonium infirment, illudque in erroris suspicionem inducant. Apostolos, ajunt, et deceptos, et decipere voluisse partium studio abreptos: divites, et doctos primis temporibus non credidisse, sed rudes tantum, et pauperes; deinde Magnates credidisse humanis tantum, et carnalibus ductos rationibus, ut propterea homines Christiana Religione meliores effectos haud fuisse. Præterea ab Judæis, et Gentilibus Jesu-Christi, et Apostolorum gesta nulla memoria tradita sunt, nulloque laudis argumento recepta. Hæc omnia impiæ, et desperatæ causæ specimen sunt, et argumentum, pluribusque rationibus ex historia depromptis refutantur. Sed miraculis ab Apostolis, et Viris Apostolicis patratis, sed plurimorum martyrio veritatem ipsam demonstramus: nam illi profecti ubique prædicaverunt Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Stupendum, et irrefragabile certe miraculum fuit prodigiosa Sancti Paulli conversio, ad quam Incredulos revocamus: donum linguarum Apostolis impartitum, morborum omnium sanationes, propheticam vim ipsis opponimus. Quæ omnia ab aliis etiam in nomine Christi post Apostolos in vera Ecclesia patrata fuisse synchroni historici testantur. Fatemur tamen pia fraude omni tempore miracula plurima fuisse conficta; sed quis ex hoc omnia pernegandi ansam desumat? Sicut enim aliqua sunt, quæ sine temeritate negari nequeunt, ita alia sunt, quæ sine fidei periculo, ut

falsa

falsa haberi debent. Inter hæc autem alia sunt, de quibus vir prudens judicium suspendet, quin ad ignorantiam, vel ad fanatismum cum Deistis indiscriminatim omnia amandentur. Ex quibus hæc quæ sequuntur

18. Quæ in novo Testamento facta narrantur omnimodam fidem merentur.

19. Apostoli id optimo jure poterant, et miraculis comprobarunt.

20. Martyrio quoque id confirmarunt.

21. Virtus patrandi miracula a Christo Domino Apostolis, eorumque successoribus collata fuit, perpetuoque servatur.

VI.

Revelationem Apostolis a Christo factam, non omnem scriptis in Evangelio, vel epistolis mandarunt; sed ore tradiderunt. Traditionis nomen doctrinam significat ab uno alteri traditam, voce, et scripto firmatam: hic tamen pressius sumitur pro eo, quod a Deo revelatum est, et a nullo Auctore Canonico litteris mandatum, seu pro doctrina a Christo, ejusque Discipulis viva voce tantum communicata, quamvis postea ab aliis fuerit etiam litteris consignata, ex hoc enim sanctorum Patrum doctrinæ utilitas, & necessitas, uniformitas, atque sanctitas demonstrantur, in dogmatibus fidei, et morum præceptis, ac disciplinæ traditione sancienda. Porro traditiones, de quibus nunc disputamus vel Divinæ sunt: quæ immediate a Christo Domino suam originem ducunt, vel Apostolicæ, quæ ab Apostolis Ecclesiæ traditæ sunt, quæ etiam Divinæ dici debent, quia ab Apostolis suggerente Spiritu Sancto nobis relictæ sunt. Utraque Verbum Dei traditum constituit. Heterodoxi verbum Dei, quod sacris in Litteris non continetur, dictum, vel imperatum a Christo nullum esse contendunt; aut saltem quod articulum fidei non constituat: At si res ita foret jam actum omnino esset vel adiaphoræ opiniones dicendæ forent, quæ a Catholicis de Librorum sacrorum Canone, de Beatæ Virginis Mariæ perpetua Virginitate, de septenario Sacramentorum numero, de forma, et materia uniuscujusque, de Purgatorio, de Indulgentiarum vi, et usu, de invocatione, et veneratione Sanctorum, Reliquiis, et Immaginibus firmiter credendæ proponuntur, sicut et de Romani Pontificis Primatu, Concilliorum Æcumenicorum infallibilitate, Ecclesiasticis Censuris, jejuniorum ob-

solutio-

ſervatione, aliiſque pluribus; de quibus Synodus Tridentina ſuis locis manifeſtiſſime decernit. Sed cum in traditionibus decernendis liberum omnino vellent uniuſcujuſque judicium, Græci Schiſmatici, et Proteſtantes cum Catholicis nunquam convenire potuerunt. Antiquum eſt, acerbumque hæreticorum omnis ævi in traditiones bellum, et hoc ab ipſis ad Novatores derivatum, et qui a primis Eccleſiæ ſæculis fieri in eas cepit impetus, nedum ætate noſtra reſtinctus eſt, ſed adhuc pertinaciſſime durat; nam ſi quidquam agnoſcendum ſit, quod præter ſcripturas ſacras divinam habeat auctoritatem, ſi traditioni ſit ſtandum, ſi ab ea petendus germanus ſcripturæ ſenſus, probe intelligunt dandas Catholicæ Eccleſiæ manus, mittendumque avitis erroribus nuncium. Ab ipſiſmet ſacris ſcripturis, a Græcis, a Latiniſque Patribus, deſperatæ cauſæ patroni auxilium quærunt, nihilque non moliuntur, ut traditionem omnem funditus tollant. Eo etiam ſe confugiunt, ut ſanctorum Patrum auctoritatem excludant, quod de eorum operum ſuppoſitione Catholicus aliquis argumenta præbeat dubitandi, quo non Pyrrhoniſtæ modo, ſed maximum hæreticis contra traditiones detur ſuffragium. Sed cum demonſtratum ſit plures traditiones falſas, fabuloſaſque vulgari; et diu receptas fuiſſe, hinc etiam argumentum petunt ad veras eliminandas: cui equidem opponimus nonnullas veræ traditionis regulas, ſex nempe, quas ſi opus fuerit defendere parati ſumus; quamobrem rem hanc totam his propugnabimus.

22. Non verbo ſcripto tantum, ſed orali traditione divina quoque petenda eſt revelatio.

23. Hæc autem revelatio, vel immediate a Chriſto, vel a Spiritu Sancto Apoſtolis facta, certiſſimam exhibet fidei regulam.

24. Atque hæc quidem traditio neceſſaria eſt ad orthodoxum ſacræ Scripturæ ſenſum determinandum.

25. Ad quædam fidei, morumque dogmata, quæ in ſacris Litteris non continentur ſancienda.

26. Ad ſacrarum Scripturarum Canonicos Libros decernendos divina hæc neceſſaria eſt traditio.

27. Eccleſiæ Græcæ Patres non modo nihil habent contra traditionem, ſed eam omnino probant, et confirmant.

28. Latini quoque Patres omnes in eamdem veritatem conſpirant.

29. Unanimis Patrum in aliquo aſſerendo dogmate conſenſio certiſſimum præbet traditionis argumentum.

30. In

30. In traditionibus definiendis, ficut in facris Litteris exponendis, non licet ab unanimi fanctorum Patrum fenfu recedere.

31. Traditionis itaque argumentum, et fanctorum Patrum auctoritas in fidei gratiam non funt disjungenda, fed fimul expoftulanda.

VII.

Nunc autem ad facræ Exegeticæ regulas Theologum propius advocamus. De recta fiquidem agimus, et tuta revelationis divinæ fcriptæ, vel traditæ interpretatione, et ufu. Novatores, et Increduli ftudium omne impendunt, ut liberum unicuique fit examen inire in determinandis articulis fidei; negant vero, remifque omnibus exprobrant viam auctoritatis, quam Catholici omnibus doctis, indoctifque præfcribunt, cum omnibus nec poffibilis, nec tuta examinis via haberi poffit: Ex via auctoritatis errores plures derivari, Pyrrhonifmum præcipue, opponunt: dilucide tamen a nobis exponitur viam auctoritatis ad Pyrrhonifmum non ducere, cum potius evidentisfimum fit nulla alia ratione poffe hunc evitari, quam fe committendo infallibili Ecclefiæ judicio; falfum infuper, quod via auctoritatis homines ratione, et libertate expoliat, Indifferentifmum invehat: falfum, inquam, nam hæc omnia nasci, et propagari vidimus apud eos, qui repudiato tutiffimo Ecclefiæ judicio, fidei noftræ capita in examen vocare prælenferunt. Demonftratum eft continua experientia examinis libertate a Pfeudo-Reformatoribus conceffa oftium immane referatum fuiffe Scepticifmo, Indifferentifmo, Fanatifmo. Hinc integræ fectæ Quakerorum, Anabaptiftarum, Davidicorum, Infpiratorum, feu Neo-Prophetarum, Cabenenfium. Deifmus ipfe, impius error, undenam? Primi, et celebriores hujus impietatis Coriphæi, et propagatores ex Proteftantibus. Tunc enim difceffum a primæva credendi fimplicitate, et de omnibus difputando omnia confufa funt, et perturbata. Hinc et Atheifmus, nam fi quis Catholicum auctoritatis fiftema rejicit, latum ad Atheismum ftatim aperit iter: ab Catholicismo ad Atheifmum facillimus greffus adeft. Temporibus Cromvvellianis Indifferentifmi, Deismi, omniumque errorum epocha fuit, quando fcilicet cuilibet permiffum erat quidlibet credere, ac profiteri. Jure ergo fequentes Thefes

32. In divinæ revelationis dogmatibus determinandis via examinis non eft omnibus poffibilis, et tuta.

33. Immo

33. Immò periculosæ aleæ plena, omniumque damnatorum dogmatum fons, et origo.

34. Latitudinarismus, seu plurium Religionum, ac omnium simultaneitas ex Novatorum sistemate derivatur.

35. Via autem auctoritatis omnibus possibilis, et tuta, et Religionis utilitatem unice ostendit.

36. In auctoritate admittenda nec totum rationi datur, nec ipsi totum aufertur.

37. Catholicus ergo non est Irrationalista.

VIII.

Heterodoxi omnes, quo facilius Ecclesiæ Catholicæ judicium in fidei controversiis declinent pertinaciter contendunt, Dei verbum scriptum tanta claritate, et perspicuitate gaudere, ut ipsum sui veri sensus unica norma, certum testimonium, et infallibilis judex, et interpres sit. Attamen hac in re non idem omnes, et semper constans judicium suum produnt. Modo enim hanc claritatem universæ scripturæ tribuunt, eamque absolutam, videlicet, non dissimilem ab ea Solis, qua ipse in se clarus est, et manet, sive homo oculos aperiat, sive claudat, sive videat, sive cæcus sit. Et sane quid aliud intelligere videntur illi, dum urgent in hac quæstione adversus Catholicos scripturæ loca, quibus verbum Dei generatim luci, et lucernæ comparatur? Modo vero hanc perspicuitatem solummodo partialem vocant, nempe, in iis locis, quæ fidei, et salutis sunt. Hinc inferunt interpretationem scripturæ non ad traditionem Ecclesiæ, non ad rationis dictamen, non ad lumen aliquod internum, sed ad fidei Analogiam, seu normam, ac Cynosuram, ut vocant, quamdam exigendam. Sed falluntur, et sibi ipsi contradicunt. Si tanta est scripturarum claritas, et perspicuitas, quid causæ est quod in hermeneuticis suis operibus tot tradant Logices, et Critices, necessaria præcepta? Cur linguarum Orientalium, et universæ Phylologiæ studium commendant, et pro Auctoris sacri scopo assequendo vetera monumenta omnia prophanæ, et Ecclesiasticæ Historiæ in subsidium vocant? Deinde cur tot inter ipsos adversæ interpretationes, cur sæpe errant? Atque hæc ad totalem scripturarum claritatem; nunc ad partialem. Si tanta illorum locorum est perspicuitas eccur tot de illis, multiplicesque Interpretes, et Religionis hæreses? Hujus varietatis causa, licet in variis, diversisque Interpretum affectibus aliqua ratione refundi debe-

at, præ-

bad
7-4

at, præcipuam tamen in locorum intrinseca difficultate positam esse defendimus. Jam vero si articuli fidei sunt, qui clarissimis verbis, et omni exceptione majoribus in divinis Codicibus traduntur, causam vicerunt Sociniani, et Naturalistæ, qui ob id unicum tantum fidei articulum volunt, nimirum Jesum advenisse, ipsumque esse Christum. Igitur cum nulli sint in scripturis fidei articuli etiam totidem verbis expressi, qui obscuritati non subjaceant, et per se probatione non indigeant, sequuntur argumenti capita

38. Sacra Scriptura non est ita per se clara, et perspicua, ut quilibet ejus sensum facillime assequi valeat.

39. Nec claritas hæc, et sensus perspicuitas habetur si Analogiam fidei quis præ oculis habeat.

40. Claritatem hanc ipsam, neque in locis ad fidem spectantibus intueri datum est.

41. Analogia fidei non est prima, et vera Hermeneuticæ sacræ norma.

IX.

Cum aliunde, quam ex ipsa Scriptura, veræ interpretationis criterium, et judicium depromi debeant, Lutherani, et Calvinistæ hujus declarationem, et definitionem a Spiritu-Sancto repetunt. Sed si ab ipsis postulemus, quid per hunc Spiritum intelligant, non idem referemus responsum. Quidam enim jus suum interpretandi Scripturas esse dicunt penes Spiritum-Sanctum in Scriptura loquentem. Alii autem hoc nomine intelligunt interiorem animi cælestem illuminationem, persuasionem, et nescio quam impulsionem ex dono gratiæ dimanantem, sine qua nil certi quis intelligere, et judicare possit de vero sacrarum Litterarum sensu, et in toto Religionis negotio, quem etiam spiritum privatum per rationes inexplicabiles, quibus divini luminis radio aliqui se veritatem agnoscere affirmant, exponunt. In hoc tamen conveniunt omnes, ut asserant spiritum privatum esse posse, et debere legitimum interpretandarum scripturarum judicem. Verum dum hæc statuunt, ut dissensiones in Hermeneutica sacra tollant, non advertunt e contrario eas in immensum augere. Satis unum sit Quakerorum, seu Tremulorum sistema, quod tot turbas in Anglia, et Pensilvania excitavit, et modo excitat, ex hoc Lutheri privato spiritu dimanare. Qui Spiritui-Sancto in scripturis loquenti de-

finitio-

Digitized by Google

finitionis judicium tribuunt, cum eum a scriptura non distinguant, nihil aliud solidi conficiunt; agnoscimus enim scripturam esse oportere fidei normam, non autem sui ipsius interpretem, et controversiarum judicem, quæ imperite confundunt illi, cum alterum ab altero distinguendum nemo non videat. Superest postremo ut testimonium interioris Spiritus-Sancti, persuasionis, impulsionis, quam singulis regenitis Fidelibus concedunt illi, paucis expendamus. Divini Spiritus illustrationem, et gratiam, ad veram scripturarum intelligentiam, et ad plenam, certamque de ea persuasionem et nos agnoscimus necessariam. Ast undenam, et quibus oraculis probabunt hanc spiritus illuminationem ipsis, et cuique fidelium certo promissam esse? Profecto experientia contrarium demonstrat. Etenim nemo ignorat, quæ, et quanta certamina inter ipsosmet Reformatos circa fidei articulos, et scripturarum sensum peperit hoc privatum Spiritus-Sancti dictatum. Cui malo frustra, et irrito successu mederi tentarunt per confessionem Augustanam, dein per Articulos Smalcaldicos, et tandem ope formulæ Concordiæ. Etenim potius inde majores intestinas discordias experti sunt. Sed quid dicemus de tot scripturarum versionibus ab iisdem Protestantibus elucubratis adeo inter se pugnantibus? Quæ omnia conciliari equidem possunt cum spiritu nequam contradictionis et mendacii, minime vero cum illo Sancto pacis, et veritatis spiritu. Sint itaque

42. Internum lumen, cæleste donum, mentes cujuslibet hominis illustrans pro exponendis scripturis, et in Religionis negotio commentitium prorsus est.

43. Privatus cujusque hominis Spiritus, quocumque sensu intelligatur, esse nequit explicandæ divinæ Revelationis interpres.

44. Multoque minus fidei controversiarum judex.

X.

Suas in Revelatione partes rationi humanæ dandas præcipimus, non tamen omnes. Turpiter propterea hallucinantur Rationalistæ, qui in scripturis nil admittendum volunt, quod ipsa ratio per se capere nequeat: implicare contradictionem, quod rationis captum excedit. Deus enim, sic argumentatur Genevensis Philosophus, quem adoramus, non est Deus tenebrarum, nec ideo homini rationem largitus est, ut ea non uteretur. Verum hic Auctor non meminit se

alibi

alibi docuisse, Deum utpote Ens infinitum, lumen adeo nostræ rationis excedere, ut vix aliud agnoscere possimus, quam ipsum existere. Tum alibi Deo primo veritatis fonti esse omnem fidem præstandam, etiam in mysteriis, quæ illam longe superant ; quo ipso dum rationis, et Philosophiæ supra Theologiam imperium dilatare, et stabilire student, subinde eorum, quæ ipsamet ratio manifeste docet, se prorsus ignaros demonstrant. Hæc ille. Ergo si horum aliqua manifestata nobis exhibeant veteris, novique præsertim Fœderis Libri, ea cogimur amplecti. Nec est cur Rationalistarum aliqui ad declinandam difficultatem se concedere dicant fidei mysteria supra rationem antequam revelentur ; non vero post eorum revelationem : etenim mysteriorum, quæ etiam revelata sunt, sive naturam, sive existentiam spectemus, supra rationem adhuc esse videntur : natura siquidem, quia humanæ menti ininvestigabilis remanet ; existentia vero quia licet hæc pateat certa, et clara cognitione, non alio quam revelationis principio innititur. Deum, dicunt, injuria fidem suorum oraculorum, quæ revelavit ab homine exigere : Immo reponimus, qua re magis, quam hoc obsequio experietur perfectam suarum creaturarum obedientiam, humana superbia deprimetur, animum nostrum ad cælestia avocabit. Sed ratio evidentiam, non item revelatio parit : obscura ergo per clariora explicanda. Sed revelationem nulli vel minimo errori obnoxiam, bene vero rationem quis dubitat ? Jure ergo affirmare possumus

45. Ratio humana in sacra hermaneutica solius revelationis certitudinem, uti ancilla, detegit.

46. De rerum veritate sola fides, ut domina, assensum exigit.

47. Perperam munus interpretandæ revelationis puræ rationi tribuitur.

48. Quæ revelata sunt eadem manent, quod erant ante revelationem, post etiam revelationem.

XI.

Vidit non nemo ex laudatis Novatorum principiis omnium falsorum dogmatum fontem apertum iri, nisi aliqui limites figantur, atque ut hæc mala tolleret, distinctionem invexit Articulo-

rum fundamentalium, et non fundamentalium; ita ut in his tantum postremis sit unicuique sentiendi, prout maluerit, potestas, non item in aliis, in quibus uniuscujusque doctrina, et fides conformes omnino esse debent. Sed cum in Articulis fundamentalibus, et non fundamentalibus statuendis, et illis ab istis discernendis nondum conventum sit, nec hujus sistematis Auctor satis hac in re se explicuerit, hoc quoque speciosum effugium refutamus. Mirum profecto est quantum se torqueant, quantumque studii, et meditationis impendant, ut hoc statuant; sed cum semper Catholicorum argumentationis vim, et efficaciam non effugiant, invanum laboraverunt, qui ædificant illud. Et nos distinguendos esse Articulos quosdam capitales dicimus, alios autem minus principales, sed utrosque dicimus credendos esse. Articulos capitales eos vocamus, quos nemo vel rudis ignorare potest citra salutis dispendium: minus autem principales, quos inculpate illitterati ignorare possunt, ita tamen, ut saltem implicite illi credantur, et nullum vel minimum fidei dogma ab Ecclesia definitum negare posse unanimiter docent. At si a Tolerantibus petamus, licitum asserunt, liberumque esse, citra salutis dispendium nonnulla fidei dogmata ab Ecclesia definita rejicere, dummodo fundamentalia non sint. Verum non licuit unquam, nec modo licet; quicumque enim vel a primis Ecclesiæ sæculis in aliquo dogmate, quodcumque illud sit, dissentit, veluti Hæreticus semper habitus fuit, et modo habendus est. Præterea, quos unus Hæreticorum Articulos fundamentales vocat, negat alter, quos Sabellius agnoscit, negat Arius, quos Nestorius admittit, negat Eutiches, quos Lutherani fatentur, explodunt Sociniani. Quid amplius? Quod Christiani confitentur, execrantur Judæi, quod Gentiles amplectuntur, Mahumedani rejiciunt. Hi limites sunt, quos novi sistematis Auctor ad Latitudinarismum præcludendum, amplissimos posuit. Hinc sequentibus novum sistema revincemus

49. Commentitia prorsus est Articulorum fundamentalium, et non fundamentalium distinctio.

50. Hanc Tolerantismi latissimam viam, quin præcludere, reserare defendimus.

51. Nemini enim licet citra salutis dispendium fidei dogmata ab Ecclesia definita, quæcumque ea sint, rejicere.

THEO-

THEOLOGICARUM EXERCITATIONUM

PARS TERTIA

DE DIVINÆ REVELATIONIS INTERPRETE ET JUDICE.

I.



Uinam judex Controversiarum fidei, et veri sensus scripturarum, ut solum Hermeneuticum Catholicorum principium demonstremus, definiendus est. Hunc constituit Deus. Cum enim Religio revelata ideo hominibus data sit, ut iisdem fidei principiis, morumque præceptis, uno pacis, et charitatis vinculo devicti in societate contineantur, et ad eumdem immortalitatis finem perveniant omnes; cumque ea non singulis hominibus immediate, neque omni tempore concessa sit; sequitur necessario, ut Deus bonus, ac providentissimus quosdam determinatos viros elegerit, quibus doctrinam hujus Religionis suæ custodiendam, et aliis prædicandam, explicandamque tradiderit. Ita primo in naturæ, et scriptæ legis statu, Patriarchas, Seniores, Pontifices, Sacerdotes constituendo factum est. Et in novo fœdere eamdem pene regiminis formam, aut saltem non admodum dissimilem a Judaica, Christus Dominus pro ea, qua, ut verus homo, verusque Deus pollebat auctoritate, instituit, Pastores Ecclesiæ præsertim in rebus Religionis, et fidei, deligendo. Neque enim hic definire volumus Christum Ecclesiam fundasse ad plenam Synagogæ formam, modo aliis definiendum reliquimus. Constant imprimis duodecim Apostolos, et dein septuaginta Discipulos elegisse, qui essent ministri sui, et dispensatores mysteriorum Dei ad custodiendum Evangelium, et longe, lateque per universum orbem disseminandum. Interim dedit ei potestatem ligandi, atque solvendi, variaque donorum munera ad regimen Ecclesiæ nec-

cessaria

cessaria largitus est. Hujus instituti regiminis cum accuratioribus Interpretibus perspicuum nobis argumentum præbere videtur idem Christus, cum eum, qui fratrem læserit, nec aliter emendari, aut ad peccati agnitionem perduci posset, Ecclesiæ demandandum jubet. Etenim ibidem Ecclesiæ nomine innui intelligimus Ecclesiasticum Senatum, seu Presbyterium, quod polleat sua auctoritate judicii. Quid enim aliud est Ecclesia? Cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis. Quam quidem definitionem non novam esse, sed a Sanctis Patribus primi, et secundi sæculi usurpatam defendimus. Quamobrem merito Apostoli jus interpretandi Scripturas, et fidei controversias dirimendi privatis denegant personis, sibique duntaxat, cæterisque aliis, qui ad hoc munus vocati, et adlecti sint, uti proprium arrogant. Hoc Ecclesiæ judicium uti verum ab omnibus complecti, et credi debet, illudque falli nescium esse necesse est. Scimus quippe Deum Spiritum suum huic Ecclesiastico Senatui semper promisisse. Ad cujus rei plenam intelligentiam sequentes defendemus

1. Deus in œconomia suæ Ecclesiæ quosdam elegit custodes, et magistros Religionis.

2. Hoc præstitit in veteri Testamento, Patriarchas, Moysem, Prophetas, et septuaginta viralium Senatum eligendo.

3. Hoc in novo quoque fœdere Apostolis duodecim, et septuaginta Discipulis.

4. Jus ergo istud non est penes quempiam fidelium.

5. Neque apud sæculares Magistratus residet.

6. Sed penes Ecclesiam, seu Presbyterium, et Episcopos, quos posuit Deus regere Ecclesiam suam.

7. Ecclesia isthæc visibilis esse debet, nec in aliquibus occulta consistit.

8. Quæ persecutorum, aut hæresum temporibus nunquam legitimis successoribus cessavit.

9. A veritate insuper non defecit unquam, nec deficere potest.

10. Schismatici, et hæretici, qui se ab hac Ecclesia separarunt, Apostatæ, et Excommunicati non sunt Ecclesiæ Christi membra: bene vero peccatores.

11. Huic autem Ecclesiæ summa, et infallibilis collata est au-

ctoritas

714

ctoritas in determinandis quæſtionibus fidei, et morum.

12. Quæ infallibilis auctoritas in Patribus tantum reperitur, non quidem diviſim, ſed collectim conſideratis.

13. Et collectim quidem, licet loco diſſiti, dum in aliquo dogmate ſimul conſpirant.

14. Tum etiam dum omnes, ſi non phyſice, moraliter tamen ſimul in Conciliis coeunt, et unanimiter ſentiunt.

15. Concilia ergo generalia rite, ac legitime celebrata in fidei, morumque definitionibus errare non poſſunt.

16. Infallibilem ſuam auctoritatem a Chriſto receperunt, qui Spiritum-Sanctum eis adſiſtere inceſſanter promiſit.

17. Singula Concilia, quæ vere Oecumenica ſunt, hac gaudent infallibilitate, et judiciali poteſtate.

18. Infallibile ergo Eccleſiæ teſtimonium divinæ Revelationis interpres, et judex eſt.

II.

Qui Indifferentiſmum, ac Tolerantiſmum, multoque magis, qui Eccleſiam inviſibilem ſibi confingunt, ſupervacaneum putant inquirere, et definire quænam ſint veræ Chriſti Eccleſiæ notæ, quibus nempe vera a falſa diſtinguatur, cum vel nullas eſſe, vel inviſibiles pronunciant. Sed turpiſſime errant, et viam parant, ut alios quoque in errorem inducant. Per notas Eccleſiæ intelligimus certa quædam, et indubitata ſigna ſenſibilia, et facilia, quibus vera Chriſti Eccleſia diſcerni poſſit ab Hæreticorum, et Schiſmaticorum ſocietatibus, quæ veræ Eccleſiæ titulo gloriantur prorſus immerito; et ita quidem, ut veræ Eccleſiæ ſint propria, nec alteri ſocietati conveniant, ſint ipſa Eccleſia notiora, cum ad ipſius notitiam perducant, omnibuſque ſint obvia, et accomodata, ut ſcilicet docti, indoctique homines, dummodo diligentiam adhibeant, facili negotio veram poſſint dignoſcere Eccleſiam, cui nomen dare, et in qua permanentes ſalutem conſequantur æternam. Solemne enim ſemper fuit hæreticis ſuas factiones, et ſectas ſacro Eccleſiæ Chriſti nomine inſignire, et ut elegantibus graviſſimi Canarienſis Epiſcopi verbis utar, hoc gentile, ſimul atque ſeſe Eccleſiæ auctoritate urgeri vident, aut illam ſpernere, aut Eccleſiæ rem ad ſe, nomenque transferre, et eam in illis eſſe negare, in quibus revera eſt. Profecto Lutherani, et Calviniſtæ cum cæteris Novatoribus ſolam prædicationem cum legitimo Sacra-

mento-

Google

mentorum Baptismi, et Cœnæ usu notam veræ Ecclesiæ esse defendunt, ita tamen, ut si quidpiam vitii, vel in doctrina, vel in Sacramentorum administratione obrepat, adhuc in Ecclesiæ communione quis permaneat, quod quidem ad mutuam tolerantiam verbis saltem si non re fovendam præmittendum ab ipsis necessario erat. Sed hasce duas notas, licet veræ Ecclesiæ naturam designent, docti, et indocti pariter assequi facili negotio non possunt, cum nec sensibile, nec patens deferant propriæ veritatis Criterium, sed post diligentissimum et accuratum examen constare unice possint. Superest ergo, ut cum universis Christi Pastoribus legitime ab Apostolis succedentibus, cum Constantinopolitanæ Synodi fide, dicamus, veram Christi Ecclesiam esse debere: Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam, talemque confiteamur, et vindicemus. En igitur cunctis hominibus sensibiles, patentes, et faciles notæ. Hæ sunt in Lege, in Psalmis, in Prophetis prælatæ, atque etiam ipsius Christi ore promissæ. Verum hæ uni tantum Romanæ Ecclesiæ conveniunt, cæterisque societatibus opponuntur. Ex quibus necessaria consecutione sequentes damus

19. Neque vera Doctrina, neque legitimus Sacramentorum usus sunt veræ Ecclesiæ notæ.

20. Genuini Ecclesiæ Characteres sunt, Unitas, Sanctitas, Catholicitas, et Apostolicitas.

21. Vera Christi Ecclesia ita esse debet Una unitate fidei, et regiminis, ut excludat alias quascumque societates, quæ fide, et regimine diversæ demonstrantur.

22. Ita autem Una est Christi vera Ecclesia, ut extra ipsam nulla speranda sit æterna salus.

23. Unitas non convenit Protestantiu, met nostrorum temporum Hæreticorum societatibus.

24. Nec convenit etiam Orientalium societatibus ab Ecclesia Catholica-Romana separatis.

25. Ecclesia Catholico-Romana tantum unitate fidei, et regiminis Una est.

26. Nulla Orientalium, vel Occidentalium societas ab Ecclesia Romana separata veram sanctitatem habet.

27. Sola Ecclesia Romana habet sanctitatem doctrinæ, quam immaculatam, quoad fidem, et mores, servavit.

28. Sancta quoque est sanctitate plurium ipsius membrorum, quorum successio nunquam cessavit.

29. Sancta

29. Sancta demum est gloria miraculorum, quibus fundata, et confirmata fuit, quibusque omni tempore decoratur.

30. Ecclesia eo sensu Catholica est, quod moraliter ubique diffusa sit.

31. Sola Ecclesia Romana vere dici potest, et est Catholica.

32. Vera Christi Ecclesia Apostolica esse debet ratione originis, ratione doctrinæ, ratione Pastorum sibimet continua serie succedentium.

33. Nec Orientalium, nec Protestantium societates vere sunt Apostolicæ.

34. Ecclesia Romana vera est Apostolica.

35. Ergo Ecclesia Catholico-Romana vera est Christi Sponsa divinæ Revelationis infallibilis interpres, et judex.

III.

Constituta jam inter homines a Christo Ecclesia vivus judex, et interpres suorum verborum, et ab Apostolis per mundum universum propagata, cum hæc unum visibile, et militans corpus efficiat, visibile caput in terris habeat, necesse est, ut pes, manus, et mens suum officium faciant, ut non sint sine Pastore oves, atque ne Christus in his, quæ necessaria sunt Ecclesiæ suæ defuisse videatur. Quamvis enim regimen Ecclesiæ a Christo statutum alterius generis ab omni, quo societas humana regitur, ut fortassis non sine Christi injuria Monarchiam, vel Rempublicam plerique illud appellent, dicatur; Ecclesiasticum tamen, et spirituale licet sit, corporis naturam ex unione, et harmonia partium, ordinata structura, perenni actione perpetuo servare, et caput naturæ ejusdem visibile, quo uniatur, quo ordinetur, vivat, et operetur, habeat, oportet. Hinc sapientissime Salvator noster Petrum constituit Apostolorum Principem, et in Ecclesiæ regimine, quod in universa, et varia imperantium terrenorum politia, unum semper esse debebat, quin mutaret imperium ullum, vel scinderet, quodque non honoris tantum, sed et jurisdictionis primatum obtinuit, qua equidem prærogativa Petrus ipse in tota Ecclesia jure divino in fidei firmitate, et in componendis Religionis controversiis potitus est. Quamvis ergo cæteri Apostoli prædicandi, docendi, regendique Ecclesiam Christi illimitatam obtinuerint ab ipsomet Christo potestatem, quamvis Paulus Apostolatus officio, et in fundandis Ecclesiis parem cum Petro honorem

pro-

promeruerit, et dignitatem; solus tamen Petrus in Ecclesia Primatum tenuit, cui soli, suisque successoribus Christus hanc tradidit prælationem. Sed ab Hæreticorum telo Petri Primatia in tutum posita, ubi sedem fixerit, et suæ dignitatis successores dederit, inquirendum. Romam nec adventasse ipsum unquam aliqui post Marsilii Patavini Romanæ Sedis infensissimi hostis dubitationem, audacissime scripsere, illucque si forte venit non obiisse tamen. At si hæc omnia alii concedant, negant tamen pertinaciter Romanum fuisse Episcopum, ut deinde facili negotio successores omnes, qui Petri in Romana Cathedra dicuntur nulla prærogativa Primatus habeant, vel si aliqua honoris, nulla jurisdictionis illis danda sit. Facti res hæc est, ex historiæ documentis, non ex puris placitis, et conjecturis derivanda. Fuit postremis temporibus Anonymus Auctor doctrina, et pietate clarus Jurisprudentiæ. Ecclesiasticæ universæ nova methodo traditæ Scriptor, qui spreta omnium Catholicorum sententia cum Heterodoxis Petrum non fuisse Romanæ Urbis Episcopum, sicut nec ullum Apostolorum proprium aliquem Episcopatum tenuisse, omnesque, universales Episcopos ad mortem usque permansisse, viribus omnibus defendere conatur. At cum neget ille proprium Episcopum fuisse non Civitatis alicujus, sed et regionis se intelligere debet. Qua in re ipsi statim non suffragamur: Apostoli enim omnes post Christi Ascensionem, eorumque Spiritus-Sancti ductu dispersionem, non amplius universale, sed peculiare consecuti sunt in regionibus, ubi primum accedebant Episcopale officium, sicut et Apostolatum; Bartholamæus in India, Matthæus in Ethiopia, Matthias in Judæa, Andreas, et Philippus in Scythia, Thomas in Bragmania, Jacobus Jerosolymis, Joannes Ephesi, ibidemque statim Episcopos constituerunt proprios regionarios, qui alicubi sedem figere certe debuerunt. Non ergo a Presbyteris, Parochis nempe, statuendis, qnod Anonymo argumenti caput est, sed ab Episcopis cœptum est Ecclesiasticum regimen, ex Presbyterorum, non Parochorum, et Diaconorum Senatu. Parochorum quippe institutio in Pagis, et Campestribus Locis ab Episcopi sede dissitis, nonnisi post tertium sæculum, in Urbibus ad decimum, solidis monumentis probatur. Male ergo interpretatur, falsoque concludit nonnisi post Æræ Christianæ annum quinquagesimum septimum, alicujus Episcopi factam fuisse institutionem, ut scilicet ante datam epocham Parochos primum constitutos probet. Sed ad Petrum redeamus: hic ille Apostolus est, cui universalis Ecclesiæ regimen, et Episcopatus unice traditur: hic et regionarius proprius Episcopus non uno

in loco

in loco fuit, hic Romæ universalis Episcopi Sedem fixit, ibique, et ut Romanæ Urbis, et ut Italicæ regionis, et ut totius Mundi vere Episcopus Spiritus-Sancti ductu sedit, tantamque dignitatem ad mortem usque retinuit. Cumque non unum, sed plures instituisset regionarios Episcopos Occidentis, Linumque præsertim, Cletum, Clementem sibi adjunxisset Cooperatores, suique Vicarium Linum adlegisset; defuncto Petro in eadem Petri Sede Linus electus est.. Licet primorum Pontificum seriem, et Chronotaxim pluribus implexa sit difficultatibus ut ex vetustis monumentis pariter a Lino incipiant aliqui, a Clemente alii, et inter eos, qui a Lino, sint, qui Cletum post Linum signant, et alii Clementem, et ante Clementem aliqui Cletum, et post Clementem Anacletum, alii post Linum, et Clementem Cletum, et Anacletum, tandem Cletum, et Anacletum alii non duos, sed unum habeant; novæ tamen Anonymi Chronotaxi haud subscribere possumus, ut Linus nempe a Romanorum Pontificum serie excludatur, et primus omnium Clemens admittatur, cui cum Lino in Episcopatu proprio Urbis Romæ successerit, Petrus ante sui obitus diem universalis Ecclesiæ regiminis dignitatem commiserit, Clementi vero Cletus, Cleto Anacletus successerint: hæc sane Chronotaxis et opinio cum a recepta Catholicorum omnium opinione omnino recedat, cum dubia, et incerta pleraque supponat, cum certissimis historiæ monumentis non conveniat, et hæreticorum sententiam foveat quammaxime, et tueatur, rejicienda prorsus est. Hæretici enim toti sunt, ut Petrum Romanum Episcopum fuisse negent, ut Romani Pontificatus Primatus jura explodant; at si primum ipsis concedatur, jam veluti commentum Anonymi placitum irridebunt, asserantque toto sæculo Ecclesiæ primo Clementem Ecclesiæ regimen tenuisse; etenim triginta tribus annis post Petrum rexisset Ecclesiam Auctoribus melioris notæ, et historicis affirmantibus tertio Trajani anno, Æræ vero Christianæ centesimo secundo, obiisse, Lino propterea, Cleto, Anacleto, et Evaristo a Pontificum Catalogo prorsus rejectis, et sibi manus dandas prorsus ab omnibus esse gloriabuntur. Sed quod maximi momenti est, quod Sedes, et Cathedra Romanorum Pontificum non amplius Sedes, et Cathedra Petri jure, meritoque dicetur, nec amplius Cathedræ Romanæ hæreditaria successione Primatus, jurisdictionis asseri poterit. Nec quidquam valet Anonymi effugium, quod Petrus Cathedræ Romanæ non personæ Clementis, tantam concesserit dignitatem. Nam præterquamquod ipsius est excogitatum, nullis veterum monumentis probatum, ab Hæreticis pariter, et a Catholicis, qua

ipse

ipse confidentia afferit, prorsus negabitur. Quamobrem, ut ratum, firmumque sequentes propositiones contra Heterodoxos, et Anonymi sententiam propugnamus

36. Sanctum Petrum a Christo fuisse Apostolorum Principem constitutum omni argumentorum genere defendimus.

37. Cui in Primatus dignitate, et universali Episcopatu par non fuit ullus Apostolorum, quinimmo nec S. Paulus.

38. Dogma fidei est solum Petrum fuisse honoris, et jurisdictionis Apostolorum caput, et Ecclesiæ Christi Primatem.

39. Petrus propterea Romam venit, et ibi Martyrii palmam adeptus est.

40. Hæc facti veritas probatur invictissimis argumentis, quot vel nullum aliud Historiæ gestum.

41. His, aliisque rationibus S. Petrum fuisseRomanum Episcopum, universalem scilicet Ecclesiæ Hierarcham ad obitum usque evincitur.

42. Non satis firmis documentis defendi potest nullum Apostolorum fuisse Episcopum proprium, seu regionarium.

43. Nullis vero si de Romano Petri Episcopatu loquamur, dum ibidem, non ut regionarii Episcopi, sed ut universalis, sedem tenuisse dicimus.

44. Falsa pariter opinio est ab Apostolis, et a D. Petro ante Æræ vulgaris annum quinquagesimum septimum nullum constitutum fuisse Episcopum.

45. Presbyterorum Ordinem ante Episcopalem constitutum ab Apostolis fuisse omnibus Historiæ monumentis negamus.

46. Clementem Romanum, et non Linum primum fuisse Petri successorem in universalis Ecclesiæ regimine ab ipsomet Petro electum, nec Catholicorum traditioni, nec saniori Chronologiæ consonat.

47. Probabilius est Petro Linum successisse in universalis Ecclesiæ regimine, cui Cletus, Cleto Clemens, Clementi Evaristus, et cet.

48. Quamvis primi sæculi summorum Pontificum Chronotaxis valde implexa sit, nihil tamen obest, quin successores Petri omnes vere dicamus eadem Petri prærogativa Primatus gaudere.

49. Etsi non conveniant Theologi, et Canonistæ in Primatialis jurisdictionis jura omnia decernenda, talem tamen de jure divino admittendam esse dicimus, quæ sit in fidei firmitate, et controversiis Religionis componendis accomodatam.

50. Gra-

Digitized by Google

50. Graviter ergo peccant, qui primatum jurisdictionis vel negant omnino, vel ita minuunt, ut verbis illum fateantur, re tamen auferant et fidem.

F I N I S.

Disputabuntur Tarvisii in Seminarii Episcopalis Ædibus Academicis III. Idus Augusti
MDCCLXXXIX.

32719